UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

urn:nbn:de:hbz:466:1-46093

Visual Library

Th. 2693.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

J. X.
1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REGIA CRVCIS VIA.





REGIA VIA CRVCIS

Autore D Benedicto Haefteno Vltraiectino

Reformati Monasterij Affligenienſis Ordinis S. Benedicti Præpoſito.

ANTVERPIÆ EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI. M. DC. XXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EXCEL^MO ET ILLVST^MO DOMINO D. IACOBO DE NOYELLE

MARCHIONI AC CASTELLANO LISBVRGENSI, COMITI DE CROIX,

Vicecomiti de Nielles, Baroni de Maldegem, Guize, Contsy, Toparchæ de Laires, Boucourt, &c.

ÆRARII REGII PRÆFECTO,

& renouandis per Flandriam Magistratibus Commissario Regio.



QVÆ nobis è solo ad cælum à cælesti Rege demonstrata iam olim strataque est REGIA CRVCIS VIA, eam, COMES EXCELL^ME,

calamo noſtro adumbratam nomini Tuo inſuſ conſecratum. Dux ſiquidem & præcurſor noſter, qui non ſine comitatu ſuam ſibi in Caluariæ locum detulit CRVCEM, per omnes ſæculorum ætates itineris huius comites requirit. Quemadmodum enim
Iudic.9,48 ſtrenuus ille Abimelech *aſcendens in montem cum omni populo ſuo, arreptâ ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumq; ferens humero, dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, citò facite:* non ſecùs ſupremus noſter Imperator, qui

Lucan.l.9: *——primis arenas*
Ingrediens, primusq; gradus in puluere ponens,

omnibus idemtidem inclamat:
Ioan.13, 15. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum*

modum ego feci, ita & vos faciatis. & : *Si quis vult post me venire,* abneget *semetipsum, & tollat* CRVCEM *suam, & sequatur me.* Hinc maxima CRVCEM ferendi Christianis imposita necessitas. nam *qui dicit se in* CHRISTO *manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* * *Quomodo autem putas* CHRISTVM *sequendum, nisi lege quâ docuit, & formâ quam prætulit?* * *Sequendus,* inquam, *est* CRVCE *assumptâ, & passionis suæ si non sorte, attamen voluntate comitandus.*

Matth. 16, 24.

1. Ioan. 2, 6.

* Paulin. Epist. 5. ad Seuerum.

* Hilarius Pict. can. 16. in Matthæum.

In hoc comitantium agmine quòd primas, EXCELME GOMES, Tibi deferam, non Comitatus Tui dumtaxat titulus, sed rara in Deum pietas fecit. Nam præ natalium

talium splendore, omnibusq; quibus merito Tuo illustraris nominibus, glorioſum ducis, in Te impleri, quod ſcriptum eſt: *Poſt Dominum Deum tuum ambulabis: & ipſi ſoli adhærebis.* Quid enim? an non *gloria magna eſt ſequi Dominum?* & huius non modò comitem fieri, ſed & filium? *Faſtigium* ſcilicet *nobilitatis eſt, inter Dei filios computari: nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, niſi contemptu ſuo poteſt. Nemo eſt in cæleſtibus glorioſior, quàm qui repudiato Patrum ſtemmate, ſolâ elegit* CHRISTI *paternitate cenſeri.*

Deut. 13. 4 ita legit Ambroſ.

Eccli. 23, 38.

S. Hilar. Arelat. Serm. de S. Honorat.

Macte hac virtute, COMITVM PIISSIMÉ, tanti Ducis inſiſte veſtigijs, certus, quòd, vt dici ſolet,

Bonus

Bonus Dux, bonum reddet Comitem. imò iàm reddidit. Ab illo enim sunt, quæ in Te suspicimus, non vulgaria ornamenta. Ab illo singularis ea, quam dixi, in Deum pietas, in Regem fides, iuuandæ Reip. studium indefessum. Ab illo nota illa in rebus arduis prudentia, in dubiis consilium, in prosperis moderatio, in æduersis æquanimitas, & benigna in omnes comitas. Quæ sanè Catholici Regis permouerint Maiestatem, vt nouo Te, quem gratulamur, MARCHIONIS ornaret titulo; cui & ipse futurus sis ornamento. Quid dicam de Tuo in Dei Seruos amore, quos inter nostrę Congregationis homines ita complecteris, vt operam Tuam, cùm eâ

opus est, perhumaniter iis prolixéque impendias.

Hæc aliaque, quæ recensere promptum esset, lubens prætereo, quia

Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit: ——

& vna ac verissima hæc Tua laus, posse, nec velle laudari. In partem tamen gratitudinis CRVCEM hanc VIAMQ. accipe: hanc, vt teras; illam, vt feras; & vtriusque tandem præmium referas æternum. Affligenio, Nonis Ianuarij, anni M. DC. XXXV.

EXCELLENTIAE TVAE

obsequiis addictissimus

F. BENEDICTVS HAEFTENVS.

GLORIOSISSIMÆ VIRGINI S. TERESIAE A IESV Carmelitarum Excalceat. FVNDATRICI.

EAS mihi sit, ardentissima CRVCIS CHRISTI Amatrix, Seraphica virgo TERESIA, REGIAM hanc CRVCIS VIAM sacris Tuis substernere pedibus, & nomini Tuo longè celeberrimo consecrare. Quamquam enim cælestis vrbanitatis ignari, nimiæ id forsitan adscri-

adscribent audaciæ; ego tamen vel hoc pacto perennem illum Tuum erga CRVCES afflictionesq; amorem venerari mihi posse videor. Etenim *dilectus Tuus candidus & rubicundus, electus ex millibus*, vnam Te ex multis elegit millibus, ad similitudinem suam virginitate candidam, patiendi desiderio rubicundam, cui diuitias & delicias CRVCIS suæ, luculentiùs aperiret. Hinc vitæ Tuæ cursus aliud fuisse non videtur, quàm adscensus purpureus, quo per CRVCES & dolores ad ferculi Salomonis reclinatorium aureum penetrasti. Non modicum Tibi præbebant CRVCES solatium; pœnæ & tormenta Tibi videbantur ornamenta: opprobria & conuitia vel-

Cant. 5, 10.

ut

ut ſuauiſſima quædam harmonia Tu is inſonabant auribus. Parum Tibi erat, ô Magnanima Heroïna, tribulationes æquo animo tolerare, niſi etiam flagrantiſſimo eas deſiderio à Deo flagitares, & crebrò Tibi eſſet in corde, crebrò in ore;

AVT PATI, AVT MORI: Teresſ. Vitæ ſuæ c. 40

& quòd, vt ipſa litteris conſignaſti, *afflictiones cum omnibus mundi theſauris non commutares*. Teresſ. in Concep. diuin. amor. c. 6. Vnde autem hæc vota? vnde hæc afflictionis æſtimatio? vnde hoc deſiderium? Ab Amore Tuo Crucifixo CRVCIS hunc amorem hauſiſti: impatiens hoc patiendi deſiderium ab eo procul dubio proceſſit, qui ſe patientiæ præceptorem fecit & exemplum.

Nimi-

Nimirùm totus Tibi fixus erat in corde, qui pro Te totus fixus fuerat in CRVCE.

Sed finem non habent amantium vota, nec mortali clauditur vitâ immortale desiderium. Manet iam cælo receptæ eadem Tibi, si non major, patiendi voluntas. Et si quâ causâ, interminâ illâ carere velles beatitudine, hac solâ id velles, vt posses pati. Ergóne cælestes animæ, si hæc in eas cadat affectio, mortalibus CRVCES inuideant? Auxisti, ô prudentissimâ Negotiatrix, auxisti hoc Tuo suffragio tribulationis & CRVCIS pretium: tantumque piorum mentibus calcar addidisti, nemo vt iam sit, qui vel longiorem, vel æquo graüiorem

que-

queratur, quam à Cælitibus ambitioso didicerit voto posse concupiſci.

Tibi igitur, ô ſacra Virgo, REGIAM hanc CRVCIS VIAM ſacro. Digna enim es, quæ poſt Agnum crucifixum, Ducemque noſtrum, CRVCEM ferentium agmen deducas, *quæ* CRVCIS *diu portatæ vexilla circumfers*. Poſt Moyſem præëuntem *in veteri Teſtamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum*. Felici Tu cum IESV contubernio, per ſæculi huius pelagus CRVCE ſuâ iter pandente, piorum præibis exercitum; omnibus Apoſtolicum illud ingeminans: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego* CHRISTI.

Sidon. l. 6. Epiſt. 1.

Ambroſ. Epiſt. 7. ad Siricium Papam.

1. Cor. 4. 16.

Neque verò nouum quid abs

Te

Te peto. Etenim cùm communi nobiscum hîc sorte degeres, CRVCIS trophæa passim erigebas. Iam tùm, velut altera Machabæa, *Tu supra modum Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna*, lectissimam quam condidisti gentem *hortabaris voce patriâ fortiter, repletâ sapientiâ, &, femineæ cogitationi masculinum animum inserens*, dicebas: * HOC SYMBOLVM *& axioma vestrum esse credite*: QVAE PLVS PATI POTEST, PLVRA DEI NOMINE PATIATVR; *hæcque omnium erit beatissima.* * *Quæcumque autem hoc patiendi in se desiderium non sentiet, illa se veram Discalceatam esse non existimet; cùm non tam recreationes quàm patiendi mate-*

2. Macha. 7, 20.

* Teres. Castell. anim. manss. 2.

* Lib. 2. Fundac. cap. 17.

materiam desiderare debeamus. Quod in CHRISTI Sponsis potissimùm requirebas, insignis erga illum erat amor: sed huius mensuram CRVCEM esse voluisti, *certissimum arbitrata pro magnâ aut paruâ in* CRVCE *ferendâ resolutione, amorem esse solere, iuxtáque eam debere commensurari*. O voces prudentissimâ virgine, fortiáque viragine dignas! voces quæ tenerrimis etiam virgunculis CRVCIS amplexum seriò persuaserunt! Viæ perfect. c. 32.

Patere igitur, ô gloriosa patientiæ Magistra, Te, post Agnum quem sequeris, REGIAE huius VIAE ductricem Doctricemque nôminari: instrue, quæso, errantes, iacentes erige, euntes dirige.

Pro hoc verò qualiquali scripto, quod sanctissimo nomini Tuo supplex veneransque inscribo, CRVCIS & CRVCIFIXI amorem tabulis cordis mei inscribe, & Clientum Tuorum me, licet indignum, numero adscribe.



AD

AD PIVM LECTOREM SEV VIATOREM PRÆFATIO.



AELESTEM, *exul homo & peregrine, inquiris patriam?* REGIA *huc* CRVCIS *ducit* VIA. *Quam, ne vagus forsitan & incertus oberrares, diuinus Ductor Doctorque, qui regnauit à ligno, suis olim calcauit pedibus, inculcauit sermone, signauit Sanguine. Hanc denuò tibi sub eius personâ proponimus, & vtcumque exponimus. Sequere, Viator, præeuntis vestigia, & exhortantis verba libenter excipe.* Si quis, *inquit*, vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat CRVCEM suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9. 23.

Hoc Opusculi huius argumentum, hoc Hodœporicon regni cælestis, *&* itinerarium *est* vitæ æternæ. *Sententiam hanc cùm ex Euangelio sanctus legisset Ebrulphus, attentiúsque apud animum suum, quàm vulgò solemus, considerasset; non insuper habendam ratus est conditionem, quam non homo Rex, sed Deus offerret. Mox igitur aulæ Regis Galliæ, coniugi, liberis, opibus & clientelis vale vltimum dixit, Angelóque duce in solitudinem sese abdidit, verus Crucifixi* IESV *futurus discipulus. Hæc ipsa verba cùm beato Siluestro (qui Monachorum Siluestrinorum sub Regulâ sancti Patris Benedicti deinde fundator fuit) aliquando occurrissent, facilè ei persuaserunt, vt relicto sæculo eremum peteret, vbi vigiliis, orationibus, ieiuniisque deditus, crudas tantùm herbas in cibum sæpiùs adhibebat. Fuit & vir quidam Religiosus in paucis; cuius (vt Granatensis testatur) continuum studium, sententiam hanc diligenter expendere: adeò enim illi placebat, dicere vt soleret,*

Sur. in Vitâ, 29. Decembris.

Gran. in Catechis. maiore lib. 3. c. 20.

ret, librum se conscripturum, cuius singulas paginas his CHRISTI insigniret verbis: Intelligebat scilicet, iis omnia contineri quæ ad salutem necessaria. Votum hoc viri verè pij secuti, eadem Redemptoris nostri verba pro modulo nostro illustrauimus; ipso illo fine, quo ab eo prolata.

Ipsum proinde CHRISTVM cum Staurophilâ eiusque sororibus dialogismi formâ differentem introducimus. Hanc enim & Platonem, & Tullium, & ex SS. Patribus Augustinum, Chrysostomum, Magnum Gregorium, aliosque adamasse constat? quin & ipse Spiritus sanctus amoris illud Epithalamium dramatico flore depinxit. Gratiora nempe solent esse colloquia, quàm perpetui libri. Condimenta namque ac pigmenta multa adhiberi queunt: continuatæ tractus vniformis orationis, haud rarò strigosus est; aut æquabilitate, succedentiumque catenatâ sententiarum similitudine tædium parit sæpenumerò. Et hac causâ versiculi & imagines insertæ, vt horrorem, quem

Scaliger Exercit. 108. in Cardan.

CRVX *& tribulatio adferre ſolent, aliquouſque feriant, & Lectorem nonnihil oblectent.*

Lucret. lib. 1. de Rer. nat. & iterùm lib. 4.

—Veluti, *inquit ille*, pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore.

Exempla ſparſim miſcuimus, vt Viatores *noſtri in hoc* itinere *comites, imò & duces habeant, quorum inſiſtant veſtigiis.*

Seneca Epiſt. 6.

Semper enim homines amplius oculis quàm auribus credunt. Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. *Nam* ideò Deus Sanctos tribulari permittit, vt reliqui in grauia

Chryſoſt. Hom. 1. ad Pop. Antioch.

incidentes, ſufficientem mitigationem & conſolationem habeant, in eos reſpicientes. *Scripturæ ſacræ hæc vox eſt:*

Tob. 2, 12.

Hanc tentationem ideò permiſit Dominus euenire *Tobiæ*, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

Dicendi

Dicendi porrò character hîc varius est, & esse etiam debuit. Cùm enim inuentio tota & ordo à nobis sint, verba tamen & sententias variè conquisiuimus, *à Scripturâ in primis sacrâ, & Auctoribus priscis & recentibus.* Nec verò nudas aut sparsas sententias dedimus; ne diffluerent, & esset, quod dicitur, arena sine calce: sed eas aut inter se *vtcumque* vinximus, aut interdum velut cæmento quodam commisimus nostrorum verborum. Ad summam, vt Phrygiones è varij coloris filo vnum aliquod aulæum formant: sic nos è mille aliquot particulis vniforme hoc & cohærens corpus. *Quæ autem* CHRISTO *hîc tribuuntur, non ea maioris censeri debent auctoritatis, quàm fides mereatur eorum, quos ad marginalem citamus oram.*

Lipſ. Præfat. ad Polit.

Sueton. Calig.

Non me fugit, Auctores bonos, quà veteres quà Neotericos, in hoc argumento multa & bona scripsisse, & benè; hos ego à longè subsequi conatus sum, non

assequi: nec alia scribere volui, sed aliter, nullo aliorum detrimento. Nam & one-

Gregor. Nyssen. Orat. aduers. Fœnerat.

rariam nauem, quæque millenis mercibus referta hinc indè impellitur, sequitur exigua quædam cymbula, idem secans æquor; virisque athletico more & ritu depugnantibus, eâdem lege digladiantur & pueri. *Sed & vniuersè*

Aug. lib. 1. De Trinit. cap. 3.

vtile est, plures à pluribus fieri libros diuerso stylo, non diuersâ fide, etiam de quæstionibus eisdem; vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic.

Ceterùm ne quis fortè mihi illud obiiciat:

Iob 4, 6.

Vbi est fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? *lubet humillimam vetusti Scriptoris in simili causâ protestationem pro me adscribere.*

Tertull. lib. De Patient. cap. 1.

Confiteor ad Dominum Deum, satis temerè me, si non etiam impudenter, de CRVCE & patientiâ componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim, vt homo nullius boni:

ni : *vereorque*, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque vt ~~non~~ erubescere istud, remedium ferat, vti pudor non exhibendi ; quod aliis suggestum inius, exhibendi fiat magisterium ! Itaque velut solatium erit, disputare super eo quod frui non datur, vice languentium, qui cùm vacent à sanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miserrimus ego, semper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ sanitatem, & suspirem, & inuocem, & perorem necesse est.



CENSVRA.

VT mundi huius euadas labyrinthum, auream hanc è sacræ Scripturæ sanctorumque Patrum sententiis variegatam apprehende Catenam, quâ *R. D. Benedictus Haeftenus Affligenienſis Præpoſitus* fidelium pedes ceu Ariadnæo filo per REGIAM CRVCIS VIAM dirigit in vitam æternam. Publico proinde bono lucem adspiciet, vt eam viatoribus omnibus præferat. Ita censui hac XXIII. Februarij, anno M. DC. XXXIII.

Henricus Calenus S. Tholog. Licent. Archipresbyter Bruxellenſis, Librorum Cenſor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Regiam Viam* CRVCIS, *Auctore D. Benedicto Haeſteno Vltraiectino, Reformati Monaſterij Affligenienſis Ordinis ſancti Benedicti Præpoſito*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XI. Septembris anno M. DC. XXXIV.

Signat.

Steenhuyſe.

IN-

INDEX AVCTORVM QVI IN HIS LIBRIS CITANTVR.

A.


CTA S. Andreæ.
Acta canonizationis S. Tereſiæ.
Acta canoniſationis S. Xauerij.
Ambroſius.
Anſelmus.
Antiochus.
Antonius Balinghem.
Antonius Hemartius.
Archita Tarentinus.
Athanaſius.
Auguſtinus.

B.

Baronius.
Baſilius Magnus.
Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.
Beda.
Benedictus Abbas.
Bernardinus Senenſis.
Bernardus.
Biblia ſacra.

Bir-

Birgitta.
Boëtius.
Bonauentura.
Breuiarium Romanum.

C.

Carolus Scribanius.
Chryſillus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Concilium Tridentinum.
Cornelius à Lapide.
Cyprianus.

D.

Daniel Mallonius.
Didymus.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Dorotheus.

E.

Ealredus.
Ephræm.
Epictetus.
Euripides.
Euthymius.

F.

Fauſtus Rhegienſis.
Franciſcus Labata.
Franciſcus Ribera.

Ger-

G.

Gertrudis Abbatissa.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.

H.

Henricus Suso.
Herodotus.
Hieremias Drexelius.
Hieronymus.
Hieronymus Platus.
Hilarius Arelatensis.
Hilarius Pictauiensis.
Horatius.
Hugo de S. Victore.

I.

Iacobus Corenus.
Iacobus Salianus.
Idiota.
Ignatius Martyr.
Ioannes Auila.
Ioannes Baptista Vilalpandus.
Ioannes Brugmannus.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Cedrenus.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Climachus.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Gerson.

Ioannes Lorinus.
Ioannes Ruysbrochius.
Ioannes Stobæus.
Ioannes Taulerus.
Isidorus Hispalensis.
Isidorus Peluſiota.
Iulius Scaliger.
Iustinus Martyr.
Iustus Lipsius.

L.

Lactantius.
Laurentius Iustinianus.
Laurentius Surius.
Leo.
Leonardus Lessius.
Leontius.
Lucanus.
Lucas Pinellus.
Lucretius.
Ludolphus Carthusianus.
Ludouicus Blosius.
Ludouicus de Ponte.
Ludouicus Granatensis.

M.

Marcus Eremita.
Martialis Episcopus.
Matthæus Raderus.
Maximus Taurinensis.
Minutius Felix.

Missale Romanum.

N.

Nicetas Choniates.
Nicetas Sefronius.
Nilus Abbas.

O.

Origenes.
Ouidius.

P.

Paulinus.
Pelagius.
Petrus Blesensis.
Petrus Chrysologus.
Petrus Damiani.
Petrus Equilinus.
Philo Carpathius.
Philo Iudæus.
Pindarus.
Plinius Secundus.
Polybius.
Prosper.
Prudentius.
Publius Mimus.

R.

Richardus de Sancto Victore.
Ruffinus.
Rupertus.

S.

Saluianus.

Seneca

Seneca Philosophus.
Seneca Tragicus.
Sidonius Apollinaris.
Silius Italicus.
Sixtus Papa.
Sophronius.
Sozomenus.
Stephanus Eduensis.
Suetonius.

T.

Terentius.
S. Teresia.
Tertullianus.
Tibullus.
Titus Liuius.
Theophylactus.
Thomas à Kempis.
Thomas à Villâ nouâ.

V.

Valerianus Episcopus.
Venantius Fortunatus.
Vincentius Puccineus.
Virgilius.
Vitæ Patrum.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

Præambula ad viam CRVCIS ineundam.

CAPVT I. *Ingressus in sermonem.* Paginâ 1

CAP. II. *Crux certa ad cælum via: omnibus peramoulanda.* 7

CAP. III. *Quid* CRVX, *& quotuplex.* 15

CAP. IV. *Quodnam que* CRVCIS *genus* CHRISTVM *tulisse.* 25

CAP. V. *Beatissimæ Virginis exemplo* CRVX *ferenda.* 31

CAP. VI. *Cur* CRVCES *necessariæ.* 39

CAP. VII. *Cuiusque viribus* CRVCEM *à Deo contemperari.* 49

CAP. VIII. *Voluntatem omnino firmam ad* CRVCIS *baiulationem adferendam: significasse id* CHRISTVM, *cùm dixit:* Si quis vult venire post me. 54

CAP. IX. *Voluptati studentes* CRVCEM *fugere.* 63

CAP. X. *Honoris cupidos* CRVCEM *spernere.* 71.

CAP. XI.

CAP. XI. *Peccatoribus maiorem à dæmone imponi* CRVCEM. 81
CAP. XII. *Voluptuariis, auaris, ambitiosis, & Aulicis suas non deesse* CRVCES. 88
CAP. XIII. *Coniugatorum* CRVCES. 95
CAP. XIV. *Abnegatio sui, optima ad* CRVCEM *ferendam præparatio.* 102
CAP. XV. *Baiulandi* CRVCEM CHRISTVS *se formam exhibuit.* 114

LIBER SECVNDVS.

De optimâ CRVCEM ferendi methodo.

CAP. I. CRVX *absque dilatione statim tollenda.* 119
CAP. II. *Sua cuiq; ferenda* CRVX, *nulla eligenda.* 127
CAP. III. *Non trahenda, sed ferenda* CRVX; *spernenda quoque, quæ ob illam ingeruntur opprobria.* 137
CAP. IV. *Ostentatio in* CRVCIS *baiulatione vitandâ.* 147
CAP. V. *Non præcedendum, sed* CHRISTVM *cum* CRVCE *sequendum.* 155
CAP. VI. *Exemplo* CHRISTI CRVX *ritè ferenda.* 163

CAP. VII. *Depulsio querelæ de nimiâ* CRVCIS *longitudine aut pondere.* 169
CAP. VIII. CRVX *ferenda quotidie, abijcienda numquam.* 177
CAP. IX. *In* CRVCEM *ferente, non ferenda insnis gloria.* 187
CAP. X. *Quâ intentione* CRVX *ferenda, & primò ad satisfaciendum pro peccatis, & vitandas inferni pœnas.* 195
CAP. XI. *Spe mercedis* CRVX *toleranda.* 203
CAP. XII. CHRISTI *amor* CRVX *ferenda.* 211
CAP. XIII. *In* CRVCE *orandum.* 219
CAP. XIV. *Gaudendum in* CRVCE. 227
CAP. XV. *In* CRVCE, *& pro ipsâ agendæ gratiæ.* 237
CAP. XVI. *Potiùs in aduersitate quàm prosperitate referendas gratias: non Deo tantùm, sed &* CRVCEM *inferenti.* 247
CAP. XVII. *Vt in* CRVCE *gloriandũ.* 257
CAP. XVIII. VIÆ CRVCIS *finis, carnis* CRVCIFIXIO. 265
CAP. XIX. *Vt mundus crucifigendus.* 273
CAP. XX. *Cum Crucifixo simul crucifigi oportet.* 279.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De baiulatæ CRVCIS fructibus.

PRÆLOQVIVM. 290
CAP. I. CRVX *seruat à lapsu, vincit tentationes.* 295
CAP. II. CRVX *emendat, & emundat à peccatis.* 305
CAP. III. CRVX *oculos mentémque aperit.* 313
CAP. IV. CRVX *hora spei, tessera salutis.* 321
CAP. V. *Ex* CRVCE *vinum spirituale.* 327
CAP. VI. CRVCE *homo fit templũ Dei.* 333
CAP. VII. CRVCI *decreta corona.* 343
CAP. VIII. *Maiórne* CRVCI *& passionibus, quàm actionibus corona respõdeat.* 350
CAP. IX. CRVX CHRISTO *vnit, & conformat.* 359
CAP. X. *Præsidio* CRVCIS *mare sæculi transfretandum.* 369
CAP. XI. *Vehiculo* CRVCIS *cælestem adiri Ierusalem.* 379
CAP. XII. CRVX *scala, quâ ascenditur in domum Dei.* 389
CAP. XIII. CRVX *regni cælorum pandit portas.* 397.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

VItam quæ faciant beatiorem,
Sophis quæstio ventilata priscis:
Hic enim titulos, honoris vmbras,
Ille diuitias pecuniasque,
Iste delicias, iocosque salsos,
Et quid non? animi beatitatem
Dixit, vt sua cuique suggerebat
Seductrix facilis libido mentis.
Erratis sed enim peritæ turba,
Erratis malè, quotquot estis, omnes.
Et tu, qui hendecasyllabis notasti
Vitam quæ faciant, beatiorem,
Iucundissime Martialis, erras.
Non tu, non alij, expedire nobis
Hanc vnam potuere veritatem.
Vna sed pote veritas IESVS,
Doctor optimus, optimusque Ductor,
CAP. I. *Et* VITAE VIA *vera sempiternæ.*
Hunc ergo, hunc adeamus, hunc sequamur,
Hunc quotquot sumus audiamus vnum.

Vitam

Vitam quæ faciat beatiorem
CHRISTO Iudice, Christiane, CRVX est: II.
Dura CRVX, *grauis, aspera, & molesta,* III.
Tristis, difficilis, labore plena;
Certâ sed ratione, lege certâ, VII.
Certo pondere, lancibusque certis
Omnium moduloque, viribusque
Summo à Numine temperata amore.
Quid CRVCEM *refugis superbe vilem?* X.
Duram quid refugis voluptuose? IX.
Frustrà, ne dubitetis, æstus ambo.
Non patet fuga, nec tibi, nec illi.
Iter nam CRVCIS *omnibus terendum,* VI.
Pondus est CRVCIS *omnibus ferendum.*
Nec CRVCIS *fuit ipse* CHRISTVS IV.
expers,
CHRISTI *nec Genitrix, nec hi, superna* V.
Quos nunc indigetes recepit Aula.
Ergo quâ ratione, quóve iure
Vobis eximiis licebit esse?
Omni, credite, destinata ab æuo
Cunctis stat sua CRVX, *manetq; cunctos;*
Nec quisquam potis est, licet repugnet,
Declinare Iugum fugísne CHRISTI?

Te

xi. xii. *Te* CHRISTI, CRVCIS, *& salutis hostia*
xiii. *Confestim grauiore degrauabit.*
xix. *An lubet magis abnegare temet,*
Et pedes Domini sequi libenter?
Iam iugum CRVCIS *esse denegabis*
Asperum, graue, triste, permolestum:
xv. *Nam* CHRISTO *duce, gratiâ iuuante,*
Senties leue pondus & suaue;
Mortem quod faciat quietiorem,
Vitam quod tribuat beatiorem.



RE-

REGIÆ VIAE CRVCIS

LIBER PRIMVS.

Præambula ad viam CRVCIS *ineundam.*

CAPVT PRIMVM.

Ingressus in sermonem.



LACRYMARVM illa spatiosa vallis, quæ specioso Cosmopolitani Regni exornatur titulo, vetus Adamidum sedes & habitatio fuit. In hac, Deo paternum vlciscente scelus, destinati priùs quàm nati, ærumnosam hactenus vitam trahunt. Postquam enim à diuinis legibus primus ille generis huius parens sponte recessit; patriam & dulce hospitium, in exilium; paradisum voluptatis, in terram desertam, absynthio & felle repletam, commutauit. Miseranda profectò, & omnium sæculorum luctu deplo-

randa cataſtrophe, quæ amœniſſimum ver in hiemem, Zephyros in Aquilonem, roſas in ſpinas, lilia in zizania, ſerenitatem in procellam, libertatem in captiuitatem, ianuas cæli in portas conuertit inferorum. Hinc ſcilicet illæ lacrymæ, quibus omnium mâxillæ & ora madent, quaſi noxa pomum, ſed alium Adamus olim momordiſſet.

Sed poſteri primæuam illam, à quâ exciderant, felicitatem memoriâ idemtidem repetentes, vehementiſſimo ſtudio illius, quà liceret, reſarcire iacturam conati ſunt. Magnâ enim animi conſenſione, magnis que impendijs ædificauerunt ſibi ciuitatem illam, quam vocauerunt THARSIS, quaſi dicas,* GAVDII EXPLORATIONEM. Quidquid enim hîc moliuntur, quidquid ardentiſſimo deſideriorum impetu ambiunt, eò ferè ſpectat, vt fugitiuam poſtliminio reuocent voluptatem, & vmbrâ ſaltem amiſſorum bonorum ſuam quoquomodo ſolentur miſeriam.

*Ita exponit Hieron. in cap. 23 Iſaiæ.

Ciuis hîc fuit PHILETES nomine, ſtirpe nobilis, & à fortunis copioſus: ternas ei vxor, iam pridem vitâ functa, reliquerat filias; quarum ſenior, quæ formæ ventſtate, animique ſolertiâ, ceteras facilè anteibat, STAVROPHILA dicebatur, quòd feſto CRVCIS lucem hanc primùm aſpexiſſet. Quæ huic ætate erat proxima, HILARIA; tertia

tertia natu minima, HONORIA à parentibus appellata est. Conueniebant rebus nomina: hæc enim honores, & magna nomina, illa voluptates mundique delicias auidissimè consectabatur. Non rarò autem tres hæ sorores laxandi animi gratiâ rus adibant paternum, atque ibi vno alteróve die moram trahebant. Vernum iam appulerat tempus, quo incipit

Cælum nitescere, arbores frondescere, Cicero 1. Tusc.
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.
Auia cùm resonant auibus virgulta canoris, Virg. 2. Georg.
Parturit almus ager, zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua sinus.

Temporis huius amœnitas, eique accedens inuentæ CRVCIS festum, virgines has in villam velut inuitabat. Copiam benignior facit pater. Ecce autem in ipso itinere Staurophilam incessit cupido visendi sacellum in proximâ siluâ salutiferæ CRVCI sacrum. Hortari igitur germanas occœpit, religionis causâ comitari ne negligant. Illæ contrà niti, & importunam dicere hanc pietatem; eundum potiùs, quò patris destinarentur voluntate. Staurophila tam nominis quàm solemnitatis memor, multis illas in suam per-

 trahere

trahere nitebatur sententiam : minari etiam se patri deloturam, quòd in re piâ, nec admodum difficili, tam præfractè seniori restitissent. Verùm frustrà omnino fuit. Cœptum illæ vrgebant iter, & hoc illi dumtaxat permittebant, vt si ire prorsus decreuisset, sola, quò animus & deuotio ferebant, abiret: non ingratam eius fore absentiam, quæ pro recreatione intempestiuam hanc ingereret pietatem.

Recessit igitur mœrens; &, In prandio, vel circa, inquiebat, vobis adero. Viarum autem non admodum gnara, dum densiorem ingreditur siluam, sacram ædem incauta pertransiit, quoque magis ad illam volebat accedere, eò procedebat longiùs. Varias itaque oberrans semitas, atque ex vnâ dilapsa in aliam, plures consumpsit horas. Sorores, longioris moræ, quàm precibus credebant impendi, pertæsæ, cibum iam sumpserant. Interim huc illuc incerta vagabatur Staurophila, nec qui se anfractibus istis extricaret, videbat. Ingraueſcentes paulatim tenebræ alteram mœrori adijciebant causam. In lacrymas proinde soluta, Næ, inquit, infelix ego puella, quæ, dum CRVCEM veneratura accedo, magnam mihi ipsa inueni CRVCEM! & quis tandem me his bonus Angelus educet locis? domus apparet nulla, & quò deinceps

ceps pergam ignoro. Hîc si mansero, belluis fortè præda fiam, &, vt illæ absint, incommodè saltem quiescam, probeque compluta. Ad cumulum enim malorum & hoc accedebat, quòd

——— *æthere toto* Virg. 9
Turbidus imber aquâ, densisq; nigerrimus Aen.
Austris

prorueret. Quid ageret? Necessitati cedendum fuit. Patulæ ergo sub tegmine fagi, fame & mœrore confecta consedit: seque, vt potuit, ad qualemcumque composuit quietem. Animi mœror, & contracta defatigatio non difficulter ei somnum conciliarunt. Breuis tamen is fuit, quem & anxia formido, & loci horror, idemtidem interrumpebant. Varia igitur animo versans, hæc quoque (diuino vt creditur instinctu) iniecta ei cogitatio. Vt ipsa iam à sacello aberrans, per varios anfractus huc illuc discurrendo discessisset longiùs, ita animas minimè paucas, dum à rectâ salutis deflectunt semitâ, mundi hunc peruagari labyrinthum, in plurimos sese induere errores, à cælesti denique patriâ æternum excludi.

Voluebat hæc animo attentissimo, & eliquabatur sensim eorumdem veritas in corde eius. Quare de se iam magis quàm de exitu siluæ sollicita, vnum id suspirabat, id vnum

agebat, vt VIAM inueniret VITÆ. Conuersa proinde ad Dominum, altumque ingemiscens, in hæc prorupit verba:

Dominator vitæ meæ, Deus meus, en ego ancilla tua, tot iam annis vitam hanc duxi; & quis scit, an benè? in communi hoc stadio, quod mortales omnes decurrimus, plurimos iam passus feci; at ignoro an ad salutem, an ad perditionem. Quid enim, si pro viâ veritatis, viam elegerim vanitatis? *Est* namque VIA *quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Erraui* fortassis *sicut ouis quæ perijt*, vadens non quò eundum, sed quò passim itur vel erratur. Et nunc *scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.* sed, vt Sapiens ait, *à Domino diriguntur gressus viri*. Quare *vide*, quæso, *si via iniquitatis in me est, & deduc me in* VIA ÆTERNA. *Notam fac mihi, Domine,* VIAM, *in quâ ambulem, quia ad te leuaui animam meam.*

Prou. 16, 25.
Psal. 118, 176.
Ier. 10, 23.
Prou. 20, 24.
Psal. 138, 24.
* Psal. 142, 8.

Hæc, & plura his similia, amarissimè lacrymans, dicebat, & turbida parturitione melioris vitæ, exuebatur mundo mens eius, & flagrantibus votis affigebatur cælo.

CAPVT II.

CRVX certa ad cælum via: omnibus perambulanda.

Hæc est via, ambulate in eâ. *Isaiæ* 30,21.

Ardua floriferæ CRVX cingitur orbe coronæ: Paulin.
Hanc, age, si volup' est tollere, tolle CRVCEM. Epist.12.



ON poterat tam calidas preces non exaudire is, qui *prope est omnibus inuocantibus eum in veritate*; & his præsertim, *qui tribulato sunt corde*. Volens proinde consolari ancillam suam, pulcherrimâ iuuenis specie, multoque lumine coruscans, se illi visendum præbuit. Tam inopinatus formosissimi adolescentis aspectus pænè stuporem Staurophilæ attulit, & vocem prorsus intercluſit. Sed benignissimus IESVS blandè eam sic compellauit: Noli expauescere filia, ego sum æterna Sapientia, *initium viarum Domini.* * *Ego sum* VIA, *veritas, & vita.* Et ad hoc nunc veni, vt desiderio tuo faciam satis. Complacuit enim deprecatio tua, quæ ardenti emissa corde, velut virgula fumi ascendit ante conspectum meum. Melius sanè optare nihil poteras: *Hæc* enim *dicit*

Psal.144, 18. Psal.33, 19. Prou.8,22. *Ioan.14, 6. Ier.6,16.

Hæc est via, ambulate in ea. Isa. 30.21



Ardua florifera CRVX *cingitur orbe corona:*
Hanc, age, si volup'est tollere, tolle CRVCEM

cit Dominus: State super VIAS, *& videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit* VIA BONA, *& ambulate in eâ: & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Propterea & ego nunc ad vocem orationis tuæ inclinaui cælos, & descendi, vt docerem te VIAM SALVTIS quam exquirit anima tua.

Lætabatur admodum hæc audiens Staurophila, atque admirans dicebat: Domine, quid est homo quòd memor es eius? Et vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? Quòd ad te accesserim, inquiebat Christus, non tua dignitas, sed mea fuit dignatio. Nam *deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Ad hæc Staurophila: Gratiæ tibi, benignissime IESV, quia respexisti humilitatem ancillæ tuæ, nec despexisti orationem pauperis. Sed, obsecro, fiat mihi nunc secundùm verbum tuum, & doce ancillam tuam VIAM VERITATIS, & semitas iustitiæ. Prou. 8, 31

Audi igitur filia, inquiebat Christus, & inclina aurem tuam, vt intelligas verba vitæ æternæ. Postquam omnis caro corruperat viam suam, & à tramite iustitiæ deflexerat, descendi ego de cælo vt *initiarem* vobis VIAM NOVAM, *& viuentem per velamen, id est, carnem meam.* Sicuti enim caro viam cæli clauserat, & velut obstaculum sese opposuerat: ita per velamen carnis meæ, quâ ego Heb. 10, 20.

Ita exponit Anselm. in cap. 10. ad Hebr.

propter vos homines, & propter vestram salutem obtulatus fui, NOVAM vobis VIAM dedicaui, quam ipse omnium primus intraui, ipse primus perambulaui, & fidelibus potestatem ambulandi per eam tribui.

Sed, inquiebat Staurophila, haud facilè assequor quænam hæc noua viuensque VIA, quæ & intrantes viuere faciat, & perducat ad vitam æternam. Via hæc, inquiebat Christus, vt verbo dicam, non est alia quàm VIA

Matth. 10, 38. CRVCIS. An non audisti in Euangelio: *Qui non accipit* CRVCEM *suam, & sequitur me, non est me dignus?* Quam sententiam idcircò sæpiùs inculcaui, vt neminem omnino lateret, nemo se de ignorantiâ excusaret. Quare ne solis Apostolis aut Discipulis meis dictum videretur, putauit Euangelista clarè exprimendum, me omnes allocutum. ita enim habet:

Luc. 9, 23. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat* CRVCEM *suam quotidie, & sequatur me.* Idipsum autem Marcus euidentiùs declarauit: postquam enim narrasset sermonem quem cum Discipulis de passione meâ habueram, subiecit:

Marc. 8, 34 *Et conuocatâ turbâ cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat* CRVCEM SVAM, *& sequatur me.* Omnibus ergo, Staurophila, omnibus omnino hanc VIAM proposui. *Hæc est* enim

Bern. Ser. 1 in die Palmar.

via

via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni. * *Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in* CRVCE. *Non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi* VIA SANCTÆ CRVCIS. *Ambula vbi vis, quære quodcùmque volueris, & non inuenies altiorem* VIAM *supra, nec securiorem* VIAM *infrà, nisi* VIAM SANCTÆ CRVCIS. *In* CRVCE *salus, in* CRVCE *vita, in* CRVCE *protectio ab hostibus; in* CRVCE *infusio supernæ suauitatis, in* CRVCE *robur mentis, in* CRVCE *gaudium spiritus, in* CRVCE *summa virtutis, in* CRVCE *perfectio sanctitatis.*

* Thomas à Kemp. lib. 2. de Imit. Christi cap. 12.

Horrore quodam ad hunc sermonem percellebatur Staurophila, admirans nihil aliud quàm CRVCEM sibi denuntiari. Et durus, inquit, mi Domine, hic sermo, qui animum meum non leuiter discruciat. Nam & *ipsum* CRVCIS *vocabulum pœna est.* * *Asperum* enim *est cùm dicimus*, CRVX: & *ipsius verbi asperitas, cum doloris, quem* CRVX *efficit, asperitate concordat.* Ideoque contremui ad verba labiorum tuorum. Quid hoc? respondebat Christus, adeóne ad solam CRVCIS mentionem expauisti? nimiùm delicata es, filia, cui solum CRVCIS nomen incutiat terrorem. Et vide num palàm in nomen tuum pecces, Staurophila, quod non dubites CRVCIS significare amatricem. An ignoras, in hac la-

Chrysost. Hom. de Cruce & Latrone.

* Augustin. lib. de Principio Dialect.

cry-

crymarum valle non esse gaudij & deliciarum tempus, sed laboris & afflictionis? Quis vmquam virtutis VIAM absque tribulatione & difficultate depinxit? An non ille cecinit:

Virgil. de Litterâ Pithag. *Nam via virtutis dextrũ petit ardua callem,*
Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert?

Et alius:

Silius Ital. lib. 15. de Bello Pun. *Ardua saxoso perducit semita cliuo,*
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor: adnitendum intrare volenti.

Sed mittamus nunc hæc sæcularia. Tu sanè
Ioel. 2, 23. non ignoras me datum à Deo Doctorem iustitiæ, & magistrum veritatis, quem cælestis Pater in monte Thabor hoc elogio decora-
Matt. 17, 5. uit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi*
Ioan. 13, 13. *benè complacui; ipsum audite. Vos* quoque *vocatis me, Magister & Domine, & benè dici-*
Coloss. 2, 3 *tis: sum etenim.* Nam in me *reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Iam verò in scholâ huius mundi, quid aliud docui quàm VIAM CRVCIS? An non apertè
Luc. 14, 27 dixi: *Qui non baiulat* CRVCEM *suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus?*

IESV præceptor bone, inquiebat Stauróphila, ignosce rudi etiamnum in scholâ tuâ discipulæ: pænè oblita eram decantatæ toties lectio-

lectionis. Non audiuisse, referebat Christus, sufficit; sed retinere audita, & in opus conferre oportet. Totum hoc vitæ spatium, à Deo tibi concessum, tempus studij est, quo doctrina CRVCIS ediscenda. A morte tempus est examinis: tum ego Magister & Iudex à singulis repetam præscriptam lectionem. Qui VIAM CRVCIS ignorauerit, reijcietur tamquam me indignus, nec scholæ meæ discipulus. Hoc enim signum CRVCIS erit in cælo cùm ad iudicandum venero. *Hoc signum oues ab hœdis in extremo examine segregabit. Hunc in electis characterem ego Iudex recognoscam, & propriæ mortis* decoratos *stigmate, mox ad æternæ vitæ præmia gratus remunerator inuitabo,* dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* * *Tunc omnes serui* CRVCIS, *qui se* mihi *crucifixo conformauerunt in vitâ, accedent ad* me *Iudicem cum magnâ fiduciâ. Qui enim modò libenter audiunt & sequuntur verbum* CRVCIS, *tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis.* Tu itaque si discipula mea es, angustam & asperam incede viam, nec ægrè feras, nec indigneris. *Non enim potest citra* CRVCEM, *non potest citra tristitiam præsens vita transmitti.* Noli igitur, mea Staurophila, *subito pauore perterrita refugere* VIAM SALVTIS, *quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò*

Pet. Damiani Serm. 18. de Inuent. Crucis.

Matt. 25. 34.

* Thom. à Kemp. l. 2. de Imitat. Christi cap. 12.

Chrysost. Hom 66. Tom. 5.

S. Bened. in Prologo Reg.

verò conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei. His verbis perstricta Staurophila, Propter verba, inquiebat, labiorum tuorum, Domine, deinceps custodiam vias duras; fiducialiter ingrediar angustam CRVCIS VIAM; tu tantùm dis Adiutor & Protector meus Domine. Confide filia, aiebat Christus; non ego te deseram, neque derelinquam, qui sic insto præcepto, vt præcurram exemplo. Non enim iuberem venire post me, aut sequi me, nisi ipse præcederem, & tecum forem in omni angustiâ, & tribulatione cordis.

CAPVT III.

Quid CRVX, *& quotuplex.*

Multæ tribulationes iustorum. *Ps.* 33, 20.

Non lignum, signumve, CRVCIS *modò nomine dignum,*
Ast animum quidquid discruciare potest.

ACQVIESCEBAT Staurophila sermoni quem dixerat IESVS: sed porrò etiam instrui volens, Quia cœpi, inquiebat, loquar ad Dominum meum, cùm sim cinis & puluis. Dic, obsecro, ancillæ tuæ: *Quid vult sibi hoc verbum, Tollat* CRVCEM *suam? An vt lignum vnusquisque nostrûm ferat?* aut cum Christo crucifigatur in ligno? *Quasi vna de stultis mulieribus*, inquiebat Christus, *locuta es*, non intelligens Scripturas. *Nec* enim CRVX Christiana solum *ligni est patibulum, sed vitæ virtutisq; propositum. Tota vita Christiani hominis, si secundùm Euangelium viuat,* CRVX *est atque martyrium.* Fuerunt autem, Staurophila, similes tui *districtissimi quidam monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam*; qui *simpliciter intelligentes illud, Qui non*

Chrysost. Hom. 1. De adorat. Crucis Tom. 1. in fine.

Iob. 2, 10.

August. Serm. 32. de Sanct.

Cassian. Collat. 8. cap. 3.

Multæ tribulationes iustorum. Ps. 33, 20.



Non lignū, signúmve, CRVCIS modò nomine dignū,
Ast animum quidquid discruciare potest.

non accipit CRVCEM *suam, & sequitur me, non est me dignus, fecerunt sibi* CRVCES *ligneas, easq; iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt.* Hos Serenus Abbas reprehendit, tamquam qui sequerentur occidentem litteram, non viuificantem spiritum. CRVX enim, quam baiulare iubeo, *non illa tantùm dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione* constructa est; *sed illa etiam, quæ totius vitæ curriculo, cunctarum disciplinarum virtutibus captatur. Numquid enim omnes Martyres, qui secuti sunt* me, *crucifixi sunt? Numquid omnes Virgines, quæ, iuxta Apocalypsin, sequuntur Agnum Dei, crucifixæ sunt, vt sequantur? Numquid Apostolus Paulus crucifixus fuerat, cùm dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in* CRVCE *Domini nostri Iesu Christi, per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Susceptio* ergo CRVCIS aliud nihil est, quàm *interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, & abdicatio omnis erroris.*

Augustin. citato Serm. 32. de Sanct.

Apoc. 14, 1

Gal. 6, 14.

*Leo Ser. 20. de Resurrect.

Video, inquit Staurophila, veritatis luce absterſum meum errorem. Sed enim (pace tuâ liceat hoc quærere) nihílne meriti, qui ex simplicitate ligneam circumferebant CRVCEM, acquisierunt? Quid ni? inquiebat Christus, si tam piè simplices fuerint, vt hoc ex præscripto meo faciundum putauerint.

Matth. 6, 22. *Si* enim *oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Si bona intentio, totum corpus actionum, quod ex illâ procedit, non nisi bonum erit. An non legisti, fuisse aliquando Nicolaum quemdam peregrinum Staurophorum, qui rebus mortalibus spretis, Deo se initiauerat in religioso S. Lucæ monasterio. Hic, iactis veræ pietatis fundamentis, cùm illam vocem sæpiùs audisset, quâ me secuturi iubentur CRVCEM tollere, ratus se præcepto non satisfacturum, nisi fabricatam è robore molem CRVCIS in humeros inijceret; relicto suorum cœtu, peregrinationem sublatâ CRVCE suscepit, venitque Hydruntum, inde Tarentum ac Tyrrheniam, ibique vectans humeris solitam CRVCIS trabem, coëgit puerorum cœtum obijtque sacra vrbis templa, assiduò solemne sibi Κύριε ἐλέησον clamitans, globumque puerorum ad easdem voces iterandas inuitans. Fuit hæc illius simplicitas, aliis irrisa pro insaniâ, aliis pro summâ pietate culta. Delatus tandem res ad Episcopum, qui obiurganti similis, quærit cur vrbem tantis clamoribus impleat, quid id sibi velit. Domini, inquit ille, præcepto obsequor, vti eius exemplum sequar, & CRVCEM non animo tantùm, sed corpore etiam & humeris, vt ipse tulit, circumferam. Quòd si ibi molestum est, &

Ex Radero part. 2. Viridarij SS. cap. 5. & Petro Equil. in Catal. SS. lib. 5. c. 78. Vide Baron. anno Chr. 1094. in fine.

me

me exequi mea vota prohibes, alias vrbes oppidaque petam.. Senſit interim cautus Præſul hominem minimè malum; imò ſanctum arbitratus, Ego verò, inquit, nihil impedio quò minùs cœptum viuendi genus proſequare. Accedas etiam ad meam quotidie licet menſam, vt commodiùs pietatis ſtudiis vacare poſſis. Grata fuit hæc Nicolao pij Pontificis clementia, ſed intra paucos dies febriens, citato comitatu ſuo, pueris inquam frequentibus, CRVCEM ſuam velut ampliſſimum patrimonium quaſi teſtamento tradidit, omnibuſque benè precatus, ad cæleſtem Imperatorem profectus eſt. Quàm verò mors eius fuerit pretioſa in conſpectu Domini, crebra per eum beneficia mortalibus impetrata docuerunt. Hoc habuit bonus ille, de bonâ intentione præmium. Sed, vt dicere cœperam, dum CRVCEM ferre iubeo, non lignum, ſed quidquid moleſtum eſt tolerare præcipio. CRVX enim *à cruciatu dicitur, aut certè cruciatus à* CRVCE. Tollere ergo CRVCEM, eſt ferre quidquid moleſtum eſt, ac cruciat. Tollere CRVCEM, eſt tolerare in mundo pro nomine meo, quidquid intulerit mundus. *Siquidem & animi ad mortem pro* me *ſubeundam alacritas, & membrorum quæ ſunt ſuper terram mortificatio, & illud quòd quis libenter ſe cuiuis impendenti pe-*

Bernard. Sem. in Vigilia S. Andreæ.

Baſil. in Reg. fuſ. Interrog. 6.

riculo offerre pro meo *nomine paratus sit, & nullâ de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere* CRVCEM *suam.* * *Sine ergo minas, sine blandimenta, sine quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in* CRVCEM *vertere tolera, porta, noli succumbere.*

*August. Serm. 47. de Diuers.

Tacebat Staurophila, conferens in corde suo verba sapientissimi Magistri; cùm Dominus rursus, Et vis, inquiebat, ô filia, pleniùs cognoscere, quàm non vnica CRVX sit quam tollere iubeo? age semitam hanc, quæ ad dexteram est, mecum perambula, & ostendam tibi totum Staurophylacium Patris mei, capacem, inquam, CRVCIVM OFFICINAM, quas electis distribuit prout vult. Sequebatur illa promptissimè, & gestiebat CRVCIVM genera suis distributa classibus cernere. Ibant ergo pariter, cùm ventum tandem ad montem duplici colle distinctum, vndique CRVCIBVS, ceu proceris arboribus, consitum. Et Ecce, inquiebat Christus, hæc illa CRVCIVM supellex, in salutem humani generis destinata. Viden' supremum illum collem, vsitatis & propriè dictis CRVCIBVS exornatum? Et agnoscis, credo, primo loco meam illam CRVCEM, spineâ coronâ redimitam, lanceâ & spongiâ hinc inde cinctam. Principem enim locum obtinere debuit arbor illa nobilis, supra omnia ligna

gna cedrorum excelsior, in quâ ego, vita mundi, pependi, & mortem superaui. Agnosco, inquiebat Stauro-phila, instrumentum salutis publicæ, *trophæum contra potentiam diaboli, & principium condemnationis eius.* S. Ignat. Epist. ad Philipp. Sed dic, quæso, quænam altera illa CRVX, tuæ non admodum dissimilis, nisi quòd inuersa? Hæc, inquiebat Christus, Apostoli mei Petri est, qui & ipse CRVCIS LIGNVM degustauit, sed *ad instar magistri in recto schemate crucifigi recusauit, rogans vt inuersis vestigijs figeretur, tamquam in cælum viam à terrâ faciens.* Chrysost. Orat. in Pet. & Paul. Exspecto, inquiebat Stauro-phila, quæ reliquæ CRVCIVM species. Quid opus? inquiebat Christus. an non cernis decussatam illam? Hanc *Andreanam vulgò dicitis, validâ & satis veteri famâ, diuum istum in eâ cruciatum.* Vide Lipsi. lib. 1. de Cruce c. 7. Iam hinc veterum furcam, inde Iaponum CRVCEM spectas: reliqua nota hodieque apud vos patibula.

Sed enim, inquiebat Stauro-phila, auet animus inferioris ordinis CRVCES cognoscere: video enim varia illis adjungi symbola, quæ sine dubio mysteriis fœta sint. Illæ etiam, aiebat Christus, referunt varia cruciatuum genera, quibus aut corpus, aut animus hominis, aut vtrumque torquetur. Et quidem CRVX illa, cui cor gladio transfixum hæret, interiorem CRVCEM significat, quæ mentem

validè excruciat. Hæc CRVX beatissimæ
Luc.2,35. Matris meæ, cuius animam (vt Simeon prædixerat) pertransiuit gladius. Hac & Apo-
Rom.9,2. stolus ille affligebatur, qui dicebat: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.*
Gregor. Hom.17. in Euang. Hæc compassionis CRVX dici potest. *Qui enim dolorem exhibet in alienâ necessitate, CRVCEM portat in mente.* Ad hanc CRVCEM sollicitudines, curæ, ægrimoniæ, mœrores, angores, scrupulorum aculei, animi dejectio, desolatio spiritualis, tædia, aliaque his similia sine dubio pertinent. Grauis hæc planè afflictio, vt testabatur ille qui clamabat:
Ps.87,2.4. *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te: quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Ita est, inquiebat Staurophila, supremum enim malorum arbitratur animus, qui offensum sibi suspicatur misericordiarum Patrem, & Deum totius consolationis.

Sed pergat, quæso, Dominus meus alias ex ordine CRVCES explicare. Subiunxit ergo Dominus: Illa, quam vides gladiis, fustibus, catenis, laqueis, compedibus, virgis & flagellis decoratam, varia Martyrum meorum supplicia designat. Quanta enim passi sunt tormenta, vt securi peruenirent ad palmam
Hebr.11, 36. martyrij! nam *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti*

secti sunt, tentati sunt; in occisione gladij mortui sunt: & quid non pertulerunt in mundo, quibus dignus non erat mundus?

Morborum CRVCEM non difficulter agnoscis, quæ non vtilis modò, sed subinde etiam necessaria. Israëlitæ sani obliuiscebantur Dei; at vbi *multiplicatæ sunt infirmitates eorũ, posteà accelerauerunt.* * Et *cùm* Deus *occideret eos, reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Quàm multis infirmitas corporis mentis præstitit sobrietatem! *Infirmitas* enim *grauis, sobriam facit animam.* Quare *morbum nihil aliud esse credas, quàm vtilem quamdam institutionem:* hoc est, *vt & corporea omnia, & quidquid fluxũ est* & caducũ asperneris, & *totum te cælesti parti addicas.*

Psal. 105,4. *Psal. 77,34. Eccli. 31,2. Nazianz. Epist. 70.

CRVX verò illa, cui lignea scutella & mendici adiungitur crepitaculum, paupertatis insigne est. Quis enim nesciat, hanc quoque virtutis instrumentum, si quis eo rectè norit vti? *diuitiarũ acquisitio laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inuenitur:* diuitiæ cùm amantur, inquinant; cùm habentur, onerant; cùm minuuntur, cruciant.

Bernard. de Conuers. ad Cleric. cap. 12.

Sed quid sibi, aiebat Staurophila, vult feretrum illud quod ab alterâ conspicio parte? Id afflictionem eam, respondebat Christus, designat, quæ ex parentum & consanguineorum contrahitur morte. Sustinenda & hæc

hæc æquo animo; quia etsi durum amittere charos, tolerabile tamen; quia sustulit ille, qui dederat, bonus Deus. Et quantis profuit amicis carere, qui dum viuerent, à Deo auocabant! Hæc audiens Staurophila, oculos in stulti cucullum conuertebat. Sciens autem Christus, quòd eum vellet interrogare, Video, inquit, mirari te hoc stultitiæ schema, nec satis assequi quid illud sit. Grauis hæc, filia, CRVX est irrisionum, contemptus, ac ludibriorum; quâ veri patientes non horrent stulti audire propter me: nec quidquam est quod ita hominum mentem perturbet, quàm despectui haberi. Multi sanè cupiunt Deo *seruire, sed cum hominũ laude & fauore, & præmio*; humilitatem amant sine humiliatione, volentes eam *sine honoris mundani exercere iactura, & absque vllius exasperatione conuitij, patientiæ gratiam possidere*.

Cassian. Collat. 4. cap. 12.

Sed quid hoc demum, aiebat Staurophila, quòd video subsannantes digitos, & exspuentium ora? Illud nimirum, respondebat Christus, non deesse seruis meis, quorum vitam mundus æstimat insaniam, contumelias, detractiones, probra, mendacia, iudicia temeraria, & alia huiusmodi, quorum vberrima vbique seges; tam derisoribus noxia, quàm verè patientibus vtilissima. *Hos enim eligit Deus, quos despicit mundus; quia plerum-*

Gregor. in Euang.

rumque ipsa despectio hominem reuocat ad seipsum. Optimè ergo Apostolus meus monuit, Deo seruiendum per *gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; vt seductores, & veraces*. Fasciculus verò multarum CRVCIVM simul ligatarum, id denotat, plures subinde afflictiones simul in vnum incurrere hominem, Deo ad eius salutem id permittente, atque etiam immittente. 2. Cor. 6, 8.

CAPVT IV.

Quodcumque CRVCIS *genus Christum tulisse.*



TVPEBAT non parum Staurophila, audiens multiplices CRVCES vni aliquando destinari, &, Mi Domine, aiebat, vel vnica ex commemoratis CRVCIBVS satis profectò fuerit ad validum hominem deijciendum; ecquis ergo congeriem aliquam sustineat? Quid est quod loqueris? reponebat Christus. numquid considerasti seruum meum Iob, quanta sustinuerit, & quot in eum simul irruerint CRVCES? Armenta enim primò sublata, liberi deinde ruinâ domus oppressi, percussus ipse vlcere pessimo vsque adeò, vt sedens in ster-

quilinio testâ saniem raderet: & ad malorum cumulum, propria etiam marito insultaret vxor. Amici, qui ad consolandum venerant, acerbis disceptationibus malũ exasperabant. In his omnibus tamen infractus persistebat
Iob.2,10. sancti viri animus, vt diceret: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?*
*Iob.1,21. * *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Magna, inquiebat Staurophila, hæc Iobi patientia; sed quis assimilabitur ei? Quis mihi mentem ita cõfirmabit, vt aduersus omnia aduersa inconcussa permaneat?

Cui Christus: Nulla melior ad patientiam monitio, & munitio, quàm aspicere
Heb.12,2. in me *auctorem fidei, & consummatorem* IESVM. Nam & hæc mihi patiendi causa fuit, vt ouibus meis præberem exemplum. Omnes enim CRVCES, *omnia terrena mala, quæ*
Aug. lib. de Catechiz. rudib. *sustinenda præcepi*, ego, Deus ipse, *sustinui, ne in illis timeretur infelicitas.* Si enim aduertas, ô Staurophila, nullam hîc vidisti CRVCEM, quam ego non priùs tulerim. Itáne verò, aiebat illa, & tu Redemptor mi, omnes has CRVCES? Sic est, aiebat Christus, nec de primâ dubitas: neque enim nescis, quomodo prætorio exiuerim baiulans mihi
Phil.2,8. CRVCEM, & *factus* fuerim Patri *obediens vsque ad mortem, mortem autem* CRVCIS. Hoc om-

omnes viuâ fide credimus, aiebat Staurophila, sed de aliis non ita passim constat.

Proinde aduerte, inquiebat Christus, percurram reliquas, sed breuiter, & quasi in transitu. Defuitne mihi interior CRVX, cùm in horto cœpi tædere, pauere, & mœstus esse, & dicerem: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Volui deinde ad consolationem seruorum meorum esse quasi derelictus & despectus à Deo. Ecquid enim animi credis tum mihi fuisse, cùm flebili & intermoriturâ voce clamarem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quanto dolore cordis tactus sum intrinsecus propter omnia & singula hominum omnium scelera, iam inde ab ipso mundi exordio perpetrata! hæc enim in me susceperam expianda; pro illis, agnus licet sine maculâ, & qui peccatum non feceram, reum ipse me constitueram, vt pro iis ad iustitiæ rigorem Patri satisfacerem, & quæ non rapui, exoluerem. *Cernebam* autem *perspicuè & in particulari, quanta in singulis diuinæ bonitati fieret iniuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebam quoque quantum malum sit æterna damnatio; quam totum genus Adæ sibi per peccatum accersiuerat. Multò enim exactiùs & clariùs singula considerabam & ponderabam, quàm vlla posset creatura. Vnde non dubi-*

Matth. 26, 38.

Matth. 27, 46.

Less. de Perfect. diuin. lib. 12. cap. 17.

dubitauit quidam *affirmare, hunc ipsum dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam mihi millies eripiendam; si vim suam in corpus exerere fuisset permissus.* Si enim Heli captâ Arcâ retrorsum cecidit, & exspirauit; si & nurus eius dolore eiusdem cladis exstincta est; quis dubitet, quin idêm potuisset dolor, quem pro peccatis vestris assumpseram, cùm ille longè fuerit maior, quàm vllus, qui in hominem possit cadere? atque hæc tristitia mihi fuit continua ab ipso initio conceptionis vsque ad finem vitæ.

1.Reg.4, 18.

O lætitia Angelorum! aiebat Staurophila, numquam credidissem, tantum interne habuisse doloris, nisi me docuisses. Quare concupisco & reliquas tuas cognoscere CRVCES. Iam audiuisses, aiebat Christus, nisi interrupisses. Pergo igitur de corporis afflictionibus, de quibus fortè non ambigis. An non vinculis constrictus, huc illuc magno furore per vias raptatus, impulsus & protrusus fui? an non colaphis me ceciderunt, & palmas in faciem dederunt? Denique *ego in flagella paratus fui*, & acutissimis spinis coronatus, arundine in capite percussus, & pluribus aliis CRVCIBVS inhumaniter exagitatus, & sic *dolor meus in conspectu meo semper.*

Matth.26, 27.

Ps.37,18.

Ps.37,18.

De morborum CRVCE quid attinet dicere? cùm non ignores ab Isaiâ me dici *virum dolo-*

Isai.53,3.

dolorum, & scientem infirmitatem, qui vestros láguores verè tulerim, nec defuit mihi acerba potio: *recordare* enim *absynthij mei & fellis*, & quomodo *in siti meâ potauerunt me aceto.* Thren. 3, 19. Ps. 68, 22.

Paupertatem verò amaui & exquisiui ab vtero matris meæ, *quoniam* propter vos *egenus factus* sum, *cùm essem diues, vt* meâ *inopiâ* vos *diuites essetis*. Et attende, quæso, paupertatem natiuitatis meæ, quale ego *fabricator mundi elegerim hospitium*; stabulum pro domo, præsepium pro lecto; *panniculi pro purpurâ, pro bysso in ornatu Regio laciniæ congerebantur*; *pedissequas substantia familiaris non patiebatur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis & inops mensa excludebat*. Denique pauperes elegi discipulos, & tanta mea fuit paupertas, vt neque cubile, neque domicilium quo reciperet, haberem. vnde non immeritò dicebam: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* 2. Cor. 8, 9. Cyprian. Serm. de Natiuit. Matth. 8, 20.

Compassus quoque fui hominum casibus & necibus: hinc enim super perituram Ierusalem lacrymatus sum. Hinc, vt alios consolarer, mortuos excitaui; & cùm Lazarus amicus defunctus esset, infremui spiritu, turbaui meipsum, & lacrymatus sum, vt dicerent Iudæi: *Ecce quomodo amabat eum!* Luc. 19, 41. Ioan. 11, 33.

Contumeliis denique & opprobriis satura-

Bernardus Serm. 20. in Cant.

ratus fui. *In dictis* enim meis *sustinui contradictores, in factis obseruatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores.* An non

Matth. 11, 19.

potator vini, Publicanorũ amicus, seductor, dæmonium habens, Samaritanus, blasphemus, & diuinitatis impius vsurpator, contumeliosissimè appellatus fui? Et quasi non sufficerent contumeliæ verborum, etiam factis ignominiosissimis mihi insultarunt, & æternam Dei sapientiam pro stulto & insano habuerunt. Velauerunt faciem meam ludentes, & illuderites mihi; & cùm alapis

Luc. 22, 64

me cæderent, dicebant: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Spreuit me cum exercitu suo Herodes veste albâ indutum; instar vanissimi regni affectatoris spineo diademate me coronarunt: arundine, velut sceptro, & chlamyde coccineâ, ceu Regio paludamento per ludibrium me ornauerunt. Quæ nunc, ô Staurophila, superest CRVX, quam non expertus fuerim? atque hæc quidem passus sum propter te, vt

Heb 12, 3.

& tu recogitans eum, *qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*, non fatigeris animo tuo deficiens, sed aspiciens in faciem Christi tui, eius exemplo commonita dicas: Si sic ille, quid

Luc. 23, 31

ego? *Si in viridi ligno hæc* facta, *in* me *arido*, & tantùm non flammis deputato, *quid fiet?*

CA-

CAPVT V.

Beatissimæ Virginis exemplo CRVX *ferenda.*

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Luc.2,35.*

Si CRVCIS *haud expers sit Virgo criminis expers;*
Noxia, quid dubitas subdere colla CRVCI?

PENETRABANT hæc, velut sagittæ acutæ, animum Stauriphilæ, vt lacrymæ vbertim defluerent ex oculis; resumpto autem spiritu dixit: Gratias tibi ago, ô sponse sanguinum, quia in vitâ tuâ exhibuisti mihi formam cuiuscumque CRVCIS ferendæ. Et quis mihi det, *vt per semitam patientiæ & humilitatis incedens, per Christum ad Christum meum tendam. In quo itinere* etsi *nec æstus desit laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis, nec insidiæ iniquorum, nec minæ potentium, nec contumeliæ superborum*, confido tamen quòd tuo adiutorio hæc omnia percurram; non ignara, *non tam optandum declinando ista effugere, quàm*

Leo Serm. 16. de Passione.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc 2



Si CRVCIS *haud expers sit* VIRGO *criminis expers;*
Noxia, quid dubitas subdere colla CRVCI?

quàm tolerando superaxe. Atque hoc nunc est desiderium & votum cordis mei.

Benè habet, inquiebat Christus, quòd grata sis instructori tuo: nam beneficia potiora meretur, qui pro acceptis non fuerit ingratus. Alterum proinde stimulum ad CRVCIS onus suscipiendum adiungam. Sed id priùs velim mihi dicas, quid nuper tibi acciderit, cùm nouam coëmeres tunicam? Subridebat hîc Staurophila, & Cur illud, inquiebat, Domine requiris? aut quid ad rem facit? Nimirum, aiebat Christus, intelliges posteà, hoc tuæ seruire eruditioni. Nihil igitur cunctata, Tergiuersabar, inquit, cum mercatore de pretio, quod ille (vt mihi quidem videbatur) enormius efflagitabat, ac multis vltrò citroque habitis sermonibus, tandem subijciebat: Ecce vno aut altero abhinc vico mater mea habitat, quæ eumdem pannum non minoris emit. Adi eam, & audi, num ita se res habeat, & videbis me iniquum non exigere.

Satis hoc, inquiebat Christus, hinc iam docebo, quàm æquum sit, pro Regno Dei, & salute tuâ CRVCEM ferre. Venale habet Pater meus Regnum cæleste, & *aliud non quærit pretium quàm te ipsum: tantum* scilicet *valet, quantum es: te da, & habebis illud.* Sed da te CRVCEM baiulantem, da te me se-

Beda Sermone 18. de Sanctis ex August.

quentem, da te vitam in CRVCE consu
mantem? Quid turbaris de pretio? nón
Luc. 24, 26. & me *oportuit pati, & sic intrare in gloria meam?* Iam vide, quæso, an non eodem pr
Damasc. Orat. 2. de Dormit. B. Mariæ. tio *immaculata* Mater mea, *quæ nullis terr nis inquinata fuit affectibus, sed cælestib educata cogitationibus, cùm esset animat cælum*, cælestia emerit tabernacula.

Quòd si à CRVCE quispiam immunis a æternam admitteretur beatitudinem, an n putas id Genitrici meæ, eidemque sanctiss mæ, indulgendum fuisse? sed stat, æternum
Act. 14, 21. que stabit æterni Patris decretum, *Per mul tas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.*

Volupe tamen erit, aiebat Staurophila, au dire has B. Virginis CRVCES & dolores, v per eius exempla sequar Dominum Re demptorem. Recensebo ergo nonnullos, in quiebat Christus, vt puri hominis, & infir mioris quidem sexus formam tibi propo nam, ne diuinâ virtute Deum-hominem ad uersa superasse fortassis obijcias, atque vt hinc erga mœstissimam Matrem meam tibi crescat reuerentia & cultus. Gratius mihi, aiebat Staurophila, nihil posset accidere: iam pridem enim, quidquid ad cultum Virginis-Matris aliquo modo facit, maximo pietatis sensu me affecit.

Age

Age igitur, inquiebat Christus, compingam tibi velut in myrrhæ quoddam fascículo Dolores & CRVCES, quibus discruciata fuit. Quo enim dolore affectam credis, cùm Reginæ cælorum, & Angelorum Dominæ locus non esset in diuersorio, sed in patulum quoddam stabulum tenera ac prægnans Virgo secedere coacta fuit? Quo sensu recèns nati vagitus excepit? quàm intimè compassa est nuditati, frigori, inopiæ, & reliquis, quibus tum affligebar, infantiæ ærumnis? Et cùm prænosceret omnes mihi posteà infligendos cruciatus, an non credis, quoties me pannis inuoluit, quoties manus & pedes contrectauit, toties animum nouo dolore absorptum, quòd cogitaret, illas manus, illosque pedes duris aliquando clauis CRVCI affigendos? Quàm dirus doloris gladius penetrauit Virginis animam, cùm cruentam Filij sui aspiceret circumcisionem! cùm audiret Herodis decretum de occidendis paruulis, illudque deinde immaniter executioni dari! Quàm molestum ei fuit, intempestâ nocte solum vertere, difficillimo itinere in Ægyptum concedere, ibique septem ipsis annis cum barbaris hominibus, qui innumeris probris diuinum Numen lacessebant, vitam transigere!

Luc. 2, 7.

Ex S. Brigittâ lib. 6. Reuelat. cap. 57.

Quid referam luctum, quem habuit, cùm

triduo amissus hærebam in templo? Si enim
Tob.10,4. Anna Tobiæ mater, eò quòd die statuto mi-
nimè reuerteretur filius, fleuit irremediabi-
libus lacrymis; quos non planctus emisit il-
la, quæ me non filium modò, sed Deum
suum credidit amissum? Quis mœror occu-
pauit, cùm consanguineum suum Ioannem
Luc.7,28. Baptistam, quo maior inter natos mulierum
Matt.11,2. non surrexit, audiuit in vincula coniectum,
& capite multatum? Quàm acerbus ei fuit
dilectissimi sponsi Ioseph interitus!

Magna profectò, inquiebat Staurophila,
magna hæc sunt, quæ Virginem-Matrem
grauissimè affecerint; & vix ipsa credideram
tot eam CRVCIBVS, antè Domini mei pas-
sionem, adobrutam. Præludia hæc fuere, in-
quiebat Christus, & initia dolorum, qui
deinceps velut agmine facto in eam irrue-
runt. Neque enim ignara fuit eorum quæ
mihi passionis tempore acciderunt, quæ & à
Prophetis legerat prædicta, & magno dolo-
ris sensu animo eius semper obuersabantur.

Quid illam animi habuisse dixeris, cùm
nuntium illi adferretur, me, solatium cordis
sui, captum velut latronem per plateas fre-
quentissimæ ciuitatis circumduci, raptari,
trahi, de vno Iudice ad alium indignè abie-
gari! Quam CRVCEM ei intulere alapæ ma-
xillis meis crudeliter impactæ? flagella, co-

rona

rona ſpinea, arundo, & ipſa CRVX, quam ſauciis ac cruentis humeris, miſerando ſanè ſpectaculo deportabã. Sed præ his omnibus, tũ vel maximè doloris gladius animam eius pertranſiuit, cùm ſtaret iuxta CRVCEM, & ea quæ circa me fiebant, contemplaretur.

Cùm me vidit ſuum natum
Morientem, deſolatum,
Emittentem ſpiritum.

Non ſe poterat vltrà continere Staurophila, ſed in lacrymas effuſa, ſubiunxit:

O quàm triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Vnigeniti!
Quis eſt homo qui non fleret,
Mœſtam matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?

Pergebat verò Chriſtus: Tunc, ô Staurophila, (iuxta Ieremiam) *anguſtiæ & dolores tenuerunt eam quaſi parturientem:* * *nam dolores partus, quos effugit parturiens, ſuſtinuit ex maternâ compaſsione viſcerum me reparturiens lacerum.* Omitto quòd è CRVCE depoſitum gremio exceperit, omnia vulnera explorauerit, & magnâ animi mœſtitiâ vltimæ interfuerit ſepulturæ. O Domine, inquiebat Staurophila, quis mihi det penitiùs expendere, & appendere ſingulos dolores mœſtiſſimæ Matris tuæ!

Ierem. 49, 24. *Damaſc. de Fid. Orthod. lib. 4. c. 15.

4. Esdr. 4,5 *Pondera mihi*, dicebat Christus, si vales, *pondus ignis?* Rimare, si potes, feruentissimum illud amoris incendium, quo cor eius erga me continuè æstuauit, & tum doloris magnitudinem vtcumque cognosces. Agnosce Matrem, agnosce Filium, & hunc vnigenitum, illum *desideratum cunctis gentibus*, Agg. 2. 8. *Pf. 44, 3. * *Speciosum formâ præ filijs hominum*, denique ipsum Deum ac creatorem vniuersorum. Quantam verò ex tanto amoris fomite surrexisse credis flammam? *Tantum* enim *necesse est vrat dolor, quantum hæserit amor.* August. lib. 21. de Ciu. Dei cap. 26.

Vnde *credo plenè enarrari non posse dolorem Virginis:* sed hoc dicendum, *tantum fuisse, qualitam vmquam dolere potuit de tali filio talis mater.* Bernard. de Lament. Virg.

Hæc porrò eò adducta sunt, filia, vt clarissimè videas, ne Matrem quidem meâ CRVCIS fuisse exortem? ac proinde nec te nec vllum omnino à CRVCIS consortio excipiendum. Optimè id intelligebat Apostolus, qui dicebat: *Nemo in tribulatione moueatur, ipsi enim scimus quòd in hoc positi sumus.* 1. Thess. 3, 3.

An ergo mirum, si CRVCES *& calamitates in hoc sæculo perpetuò ferendæ, cùm ad toleranda vniuersa militetis. Et sanè Christianus quodammodò esse desinit, qui, in hoc positus vt perferat, nihil perfert.* Saluian. contra Gent.

CA-

CAPVT VI.

Cur CRVCES *neceſſariæ.*



VCCREVERAT iam aliquò vſq; Staurophilæ animus ad CRVCEM ſuſcipiendam, quam videbat & Chriſtum & Chriſti matrem patientiſſimè tuliſſe, ſe verò, quiduis demum ageret, nullo modo poſſe effugere: *ſed* mirabatur enim, quid cauſæ eſſet, *quòd à Chriſtianâ vitâ inſolubile vinculum eſſet tribulatio.* Et, Ne indignetur, inquiebat, Dominus meus, ſi pergam proponere quæ animo occurrunt meo. Quid, precor, illud eſt, quòd electos tuos excruciari velis, & neminem ſine CRVCE ad Regnum Patris tui admittas? Chryſoſt. Hom. 66. ad Pop.

Reſpondit Chriſtus: Sufficere deberet, filia, quoniam ſic placitum eſt Patri meo, nec vllas eius rei exquirere cauſas, quando optimè noſti, id æquiſſimum, quod diuinæ placitum fuerit voluntati. Non detrectabo tamen nodum hunc, quem proponis, ſoluere: quando & hoc ad imbecillem animum corroborandum non parum faciat. Huius rei gratiâ, ſubiiciebat Staurophila, id vel maximè requirebam: neque enim vllum mihi

erat dubium, quin optimis niteretur rationibus, quod ab optimo Deo aut fieret; aut fieri permitteretur.

Greg. l. 23. Moral. cap. 15.

Audi igitur, aiebat Christus: *Pio Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur.* VIA *est vitâ præsenti quâ ad patriam tenditur, & idcircò hîc occulto iudicio frequenti perturbatione* homines *conteruntur, ne* VIAM *pro patriâ diligant.* Hinc mundi iter asperum, *ne dum quisque præsentis vitæ requie quasi amœnitate* VIÆ *pascitur, magis euen diu pergere, quàm citiùs peruenire delectet: ne dum oblectatur in* VIA, *obliuiscatur quod desiderabat in patriâ.*

Felle proinde miscenda erant omnia, ne mel mundi pro summis deliciis haberetur:

Auguſt. in Pſalm. 43.

nam si semper Deus in istis prosperitatibus faueret, vt omnia abundarent, nullamq; in tempore isto mortalitatis tribulationem, nullas pressuras angustiasq; pateremini, non diceretis, nisi ista, esse summa bona, quæ præstat Deus seruis suis, & maiora ab illo non desideraretis. Ideò autem huic vitæ malè-dulci miscet amaritudines tribulationum, vt alia, quæ salubriter dulcis est, requiratur. O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur: putas si dulcis esset, qualiter amaretur? Turbatur mundus, & amatur mundus; quid si tranquillus esset mundus? * *Formoso quomodo hære-*

Auguſt. Serm. 111. de Temp.

*Idem Serm. 246. de Tem.

res,

res, qui sic amplecteris fœdum? flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum?

Profectò, inquiebat Staurophila, non vtilis modò, sed etiam necessaria, vt video, CRVX atque tribulatio; alioqui insensati homines relinquerent cælum cæli Domino, terram verò terrigenis, & filiis optarent hominum. Sed vlteriùs, subijciebat Christus, expendere oportet, *habere bonum Deum bona malaq; distribuenda singulis, & alternatim secundas res, aduersasq; dispertiri, easq; ita digerere, vt, vtrælibet in hac vitâ contigerint, alteræ in futurâ sint exspectandæ.* Id scilicet volebat Pater Abraham, cùm Epuloni ita loqueretur: *Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Salian. l. 2. De Timore Dei, cap. 33. Luc. 16, 25.

O quàm verè *terribilis* Deus *in consilijs super filios hominum!* Quis enim non *timeat* exemplo diuitis huius, *quem deliciæ vitæ igni tradiderunt. Non enim ob iniustitiam, sed propter mollem & delicatam vitam reprehensus, in flammâ fornacis torrebatur.* Prosperitas ergo apud Deum crimini est, supplicioque obnoxia; & CRVCE caruisse, perpetuum meretur cruciatum. An non dixi in Euangelio: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram! Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis!* Psal. 65, 5. Basil. Homil. 1. de Ieiun. Luc. 6, 24.

rietis! Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis!

Stupebat supra modum Staurophila, &, Nisi optimè nobis constaret, aiebat, sapientissimè omnia à diuinâ prouidentiâ ordinari, nescio quî humana mens hoc Dei iudicium capere posset. Quid ita? inquiebat Christus, nónne & Ethnici id cognouerunt? Salian. vbi sup. Quò enim spectant gemina illa Iouis apud Homerum dolia, quorum alterum bonis commodísve huius vitæ refertum sit, damnis & calamitatibus alterum, quæ ille alternatim hominibus dispertiat? Socrates quoque dicebat, dolorem & voluptatem inter se ita esse compositâ, vt sese mutuò sequerentur, vt in puteo vrceus manis & plenus, vita & mors in viuentibus, nox & dies in cælo. Dies præcursor est noctis, & nox prænuntia diei. Qui hîc situlam plenam recipit, posteà habebit vacuam. Cui in hac vitâ iugiter fulsit dies, in alterâ æterna torquebitur nocte. Ita est, mea Staurophila, nemo potest & hîc & illic frui quiete. Et quid tantum miraris Dei dispositionem? Nónne in omnibus pęnè rebus humanis vix vlla existit lætitia, quam non tristitia præcesserit? Ioan. 16, 21. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus*

est

est homo in mundo. Amaritudo enim præeuntis doloris, commendat ampliùs gaudia secutura. Sic pretiosior sanitas est, quæ post languoris recuperatur incommodum. Agricola quoque de vbertate frugum lætari non poterit, nisi priùs terram multo labore confecerit, & tantò magis prosperitatis spem congerit, quantò se ampliùs desudasse cognouerit. Hoc nimirum est quod dici solet, Vbi vber ibi tuber; vbi mel ibi fel. & Hieron. Tom. 4. in Epist. ad Virg in exil. miss.

Semper odoriferis proxima spina rosis.

Cumulatè, aiebat Staurophila, dubitationi meæ satisfactum. Alias proinde rationes, si quæ sint, libenter excipiam. Pergam igitur, subdebat Christus: *Tentat vos* per CRVCES *Deus, vt palàm fiat vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ. In igne* enim *probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* & numquam audisti, *vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Bonos in deliciis Deus non habet, experitur, indurat, sibi illos præparat. *Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat.* Non legisti de iustis vexatis, quid scriptum? *Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore* Deut. 13,3 Eccli. 2,5. Eccli. 27,6. Seneca de Prouident. Sap. 3,5.

erit

erit respectus illorum. Vexati ergo, afflicti, & cruciati Deo digni sunt, contrà, *qui non accipit* CRVCEM *suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et *verè ille miser est, qui in afflictione constitutus nimiùm tristatur, & Deo non se dignum præbet.*

Matth. 10, 38.

*Nicetas Choniates.

Verùm, inquiebat Staurophila, quid opus probatione, cùm Deus vniuscuiusque nouerit virtutem, etiamsi nulla ingruat aduersitas? Non ita probat Deus, respondebat Christus, vt noua ei succedat notitia, sed vt aliis notam faciat iustorum tolerantiam, cui ipse materiam suggerit & occasionem. Ita Tobiæ dictum: *Quia placebas Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te,* & declararet, non Deo aut Tobiæ, sed aliis hominibus, quàm excelso animo sustineret aduersa. Et nesciunt plerique quâ mente Sancti Deum colant, & non rarò propter præsentis vitæ felicitatem Deo seruire credunt, sed CRVX & tribulatio facilè ostendit, quanto Deo adhæreant amore. Ita diabolus ob temporalia bona Deum à S. Iob coli opinatus est. *Cùm enim videret sanctissimum virum valdè copiosum & opulentum, nihilq; haberet quod ei accusationis loco obijceret, ad hanc confugit calumniam: Numquid gratis te colit Iob? Circumuallasti interiora & exteriora eius: propter mercedem ille virtutem sequitur, tantâ fruens opulentiâ.*

Tob. 12, 13.

Chrysost. Hom. 1. ad Pop. Antioch.

Quid

Quid igitur fecit Dominus? volens demonstrare quòd Sancti ipsum non colant propter mercedem, omnem substantiam abstulit, & paupertati tradidit, & in grauem morbum incidere permisit. Et quidem omnibus ille diuitijs circumfusus, quis esset, non multis manifestum erat, postquam verò ipsas velut vestimentum exutus, athleta abiecit, & ad pietatis certamina nudus intrauit: sic spoliatus spectatores omnes perculit, ita vt & ipse Angelorum Dominus super animi eius tolerantiâ vehementer acclamaret, & victori illi applauderet.

Cognosco nunc Domine, aiebat Stauro-
phila, necessaria esse fortium exempla, tum
vt eos, prout meriti, veneremur; tum vt ad
eorum accendamur imitationem. Subiecit
verò Christus: Sed & alteram audi ratio-
nem, *magna & præcipua virtus est patientia;* Lactant. de
carebit hac *iustus, si nihil patiatur aduersi. Est* Iustit. l. 5.
enim patientia, malorum, quæ aut inferuntur, cap. 23.
aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. * *Pa-* * Seneca l.
ternum Deus habet aduersus bonos viros ani- de Prouid.
mum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Non est arbor solida nec fortis, nisi in quàm frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit. Marcet sine aduersario virtus: tunc ap-

paret

paret quanta sit, quantumq; valeat polleatq; cùm quid possit patientia ostendit.

Prudent. in Psychom. *Nam vidua est virtus, quam non patientia firmat.*

Fateor, inquiebat Staurophila, paternum Dei erga nos animum: sed dura est super nos manus eius. Quis enim vel à vitrico continuas exspectet vexationes, & non leues calamitates? Matris, video, aiebat Christus, requiris blanditias, & foueri sinu, contineri vmbrâ, numquam contristari, numquam laborare, numquam affligi desideras. Numquam audisti,

Lucan. l. 9. *Gaudet patientia duris?*

Apoc. 3, 19. vel illud Patris misericordiarum, *Ego quos amo, arguo, & castigo? Hanc rationem* in electis suis Deus

Seneca l. de Prouident. *sequitur, quam in discipulis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu inuisos esse Lacedæmonijs liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publicè verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant, perseuerent vulnera præbere vulneribus.* Et verò monasteriorum Præfecti, vt nouisse potes, vix admittunt, nisi durè exercitatos. Narrat Climacus, fuisse monasterij

Climac. Grad. 4. ante med. dispensatorem pudicum & moderatum, & mitem vt quis alius. In hunc mona-

sterij

sterij Pater inuectus est absque vllâ causâ, iussitque de Ecclesiâ proijci: intempestiuè sanè. Climachus cum eum scíret eius criminis, quod Pater obiecerat, insontem, seorsim Patri illi dispensatoris commendabat innocentiam. Ad quem & ille sapientissimè. Scio, inquit, Pater, sed sicut crudele est ex ore famelici *infantis panem rapere, ita & seipsum & operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit, horis singulis prouidere satagat, siue per contumelias, siue per ignominias, siue per obiectiones, siue per ludibria.* * *Quòd si Cœnobiarcha ritè, ac ordine facit, quando insontes etiam contumelijs exercet; cur amplissimi monasterij Pater, orbis gubernator Deus, qui Oceano & cælo velut muris clausum continet monasterium suum; cur hic, inquam, magnus Pater iniquè faciat, si filios suos fame, morbis, egestate, iniurijs exerceat?* Denique, ne diutiùs te traham; & ideò CRVCES à Deo immittuntur vt coronæ & præmia vobis augeantur. Quantum enim tribulationes intenduntur, tantùm & retributiones ampliantur. Imò & ampliùs. *Non* enim *sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in* vobis.

*Drexel. in Gymnas. patient. part. 1. c. 2.

Rom. 8, 18.

CA-

Pondus et statera iudicia Dñi sunt. Prou. 16, 11.



CRVX sua quemq; manet, certo quā pondere sumamus
Arbiter ex magno mittit amore Deus.

CAPVT VII.

Cuiusque viribus CRVCEM *à Deo contemperari.*

Pondus & statera iudicia Domini sunt.
Prouerb. 16, 11.

CRVX *sua quemque manet, certo quam pondere summus*
Arbiter ex magno mittit amore Deus.



ARGVTARI hîc rursum occœpit Staurophila, & Cùm dispar, inquiebat, humanarum virium sit robur, vt quod vni leue, aut non admodum graue, alteri videatur longè grauissimum, scire velim, quemadmodum omnes CRVCI baiulandæ apti esse queant. Multi enim sunt debiles, infirmi, & sibi ipsis graues: & quî, quæso, teneræ virgines, pueri, & puellæ CRVCIS onus gestabunt? Erras Staurophila, inquiebat Christus, & crassè admodum. Si enim credis Deum esse sapientissimum, imò ipsam sapientiam, quomodo CRVCEM imponat, quæ ferentis excedat vires? An non legisti: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari suprà quàm potestis. Si enim homines suis iumentis* 1. Corinth. 10, 13. Ephræm Tract. de Patient.

mentis non plus oneris imponant quàm fer queant, multò minùs plus tentationum aut a flictionum imponet Deus, quàm ferre possin

Francisc. Labat. tit. Tribul. Nouit nauclerus certo pondere nauem s burrâ onerare, ne æquo leuior, ventoru tempestatibus transuersum eat; & tame non ita prægrauat, vt demergatur in pro fundum: non secùs Deus CRVCES & ten tationes amicis suis immittit, ne leui fla abripiantur, sed vt prosperè æternæ glori portum attingant.

Fateor Domine, inquiebat Staurophil errorem meum, & insipienter locuta sum Sed ne graue, quæso, sit, erudire inscitia

Ps. 93, 12. meam: *Beatus* enim *quem tu erudieris Dom*

Sap. 11, 21. *ne*. Cui Christus: *Deus*, qui iuxtà sapiens ac iustus, *omnia in mensura, & numero, pondere disposuit*. Nouit ille exactissimè

Horat. de Arte Poët. ——— *quid ferre recusent*
Quid valeant humeri, ———

ideoque afflictiones & pœnas æquâ explo rat mensurâ; ne CRVX iusto longior aut bre uior alicui immittatur. Dinumerat ille quo huic, quot illi, & quâ serie CRVCES assignan dæ: appendit prætereà, velut in bilance, ex vnâ parte cuiusque CRVCIS pondus, & pa tientis vires ex alterâ; atque ita vtraque at temperat, nihil vt vltra vires immittatur. An

Psal. 79, 6. non Dauid ait: *Cibabis nos panè lacrymarum,*

&

& potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ?
*Dat in mensurâ, non supra mensuram, *ne sine moderatione mensuræ, pœnæ cumulo homines grauarentur, & sustinere non possent.* *Ambros. in Ps. 118. Octon. 20
An non Deus olim decreuit, vt *pro mensurâ peccati, sit & plagarum modus?* Deut. 25, 2
Iam & de numero quàm sollicitus est, cùm vetat quadragenarium excedi? Et quid est quod pauidi filij hominum reformidetis? nam *& capilli capitis vestri omnes numerati sunt,* & ne vnus quidem *de capite vestro peribit*, nisi ex præscripto Dei. In pondere quoque, *spirituum ponderator*, CRVCES disponit, vt iusti ponderis rependat in cælo coronas. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis* vestræ, *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in* vobis. Et erit aliquis, qui queri possit, grauius sibi onus imponi, quàm sustinere valeat? Homo id faciat, cui robur ferentis ignotum; aut si notum, crudelis erit, si fecerit. Non cadit hoc in Deum optimum & sapientissimum.
Ibid. Luc. 12, 7. Luc. 21, 18. Prou. 16, 2. 2. Corinth. 4, 17.

Equidem id credo, Domine, aiebat Staurophila; sed nescio quomodo semper querula caro submurmuret, & grauiora se, quàm reuerà possit, ferre existimet. Sapientia carnis, respondebat Christus, mors est, nec benè de bonitate Dei iudicat. Disce vel ab Agonothetis quid de Deo sentire debeas:

Origen. de Princip. lib. 3. c. 2.

nam *sicut hi qui agonibus præsunt, eos qui ad certamen veniunt, non accumque, neque fortuitò inter se sinunt inire certamina, sed diligenti examinatione, prout viderint corpora vel ætates, æquissimâ comparatione iungentes illum cum illo, vt pueros cum pueris, viros cum viris. Ita intelligendum est de Deo, qui homines, qui in hos humanæ vitæ descendunt agones, iustissimâ ratione dispenset, secundùm rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse solus agnoscit; vt alius quidem pugnet aduersus carnem, tali & tanto tempore, alius verò non tanto: tum vt alius resistat aduersus inimicam potestatem hanc vel illam, alius aduersus duas vel tres simul.* Non vno modo vasorum exploratur integritas: solidiora grauiori ictu, fragilia leuiore tanguntur. Artifex vitrum extremo vix digito tangit, argenteum scyphum malleo percutit, campanam vero prægrandi plectro, & quæ libras aliquot appendat, fortissimè pulsat, securus periculi propter metalli soliditatem. Non secùs Pater cælestis pro virium mensurâ CRVCES & tribulationes immittit. Vitreos & fragiles homunciones benigniùs habet, fortes verò & probatæ virtutis duriùs tractat. Nihil igitur metuendum, ne grauior alicui imponatur CRVX, cùm à paternâ Dei manu omnes æquè descendant.

Do-

Domine, inquiebat Stauropi[illegible]la, quotiescumque vel ægrotos viso, vel cum afflictis loquor, antiqua hæc eorum & quotidiana est querela, manum Dei grauem esse super eos, seque sustinere non posse. Homines, respondebat Christus, loquuntur vt homines; sensuum iudicium sequuntur; ad Deum, sine quo permittente aut immittente nulla venit afflictio, oculos non attollunt. Nec cogitant à Patre eam venire, & sapientissimo, & benignissimo, & moderatissimo. An tu existimas hunc Patrem subito furore aut iracundiâ concitum neque videre, neque intelligere, neque attendere quem percutiat? quot, quamque graues, aut diuturnas CRVCES immittat? Non ita agit, in neminem furit, neminem suorum despicit; sed vniuscuiusque virtutem dispicit, cuiusque robur velut ad trutinam examinat & explorat. Vidit ille ab omni æternitate, has illásve corporis ærumnas, afflictiones, dolores, huic & illi profuturas, ideoque prudenter admodum decreuit, vt hoc aut illo anno, mense, die, aduersitas quædam contingeret, quæ animæ salutem promoueret. Noli igitur, filia mea, expauescere, noli durum vocare Patrem, qui per Prophetam suauissimè ita te consolatur: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo; meus es tu. Cùm transieris per aquas,* Isai. 43, 1.

tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël.

CAPVT VIII.

Voluntatem omnino firmam ad CRVCIS *baiulationem adferendam: significasse ipse Christum, cùm dixit:*

Si quis vult venire post me.

Matth. 16, 24.



INIERAT Christus, cùm Stauraphila ex benignitate Domini confidentior facta, nouam mouit quæstionem. Et quid est, inquit, ô Domine, quòd

Luc. 9, 23. CRVCEM ferendam omnibus proponens, dixisti: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat* CRVCEM *suam:* cùm CRVX adeò necessaria sit, nullâ vt arte, nullâ vt industriâ eam effugere liceat? velint igitur nolint homines, CRVX omnibus perferenda videtur.

Chrysost. de Adorat. Cruc. & Hom. 56. in Matth.

Ita quidem, respondebat Christus, sed nolui ego *vllam necessitatem verbis meis adiungere, nec dicere, Velitis nolitis, hoc vobis perfe-*

ferendum est, sed, si quis vult me sequi. Non vim affero, non cogo: sed sui quemque iudicij ac voluntatis Dominum facio, verùm CRVCEM suam mei amore velit ferre, ob eamque causam dico, *si cui in animo est me sequi. Nam sicut qui vim facit, plerumque auertit; sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit. potentior est oratio mitis, quàm violenta.* Atque id expendas, Staurophila, me non tam ad CRVCES, *afflictiones & onera, nec ad supplicia & pœnas (vt cogere mihi opus sit) quàm ad ineffabilia bona conuocare; quorum ea natura est, vt facilè per seipsa vos inuitare possint. Magna enim sunt quæ retribuo, ac talia, vt vltrò ac sponte homines ad ea concursuros dubitare non debeam. Non enim si quis aurum atque argentum proponeret, vim inferret; quantò igitur magis in cælestibus bonis inferenda non est? Et certè si rerum ipsa natura non persuadet, & nisi sponte curras, nec accipere quidem digna eris.* Idem Homil. 56. in Matth.

Nimirum propter hoc ipsum, inquiebat Staurophila, arbitrata sum, neminem fore, qui, si rectè expenderet, CRVCIS detrectaret consortium. *Qui* enim *sequitur* te, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ:* & quid, quæso, quærunt homines, quod non inueniant in TE. Honores ambiunt & gloriam? *Gloria magna est sequi Dominum.* Ioan. 8, 12. Eccli. 23, 38.

Pſ.15,11. Quærunt voluptates? *delectationes in dextera tuâ vſque in finem.*

Non omnes, respondebat Christus, capiunt verbum hoc: sunt enim (prô dolor!) sunt multi, *quod peßimum eſt, qui durißimum & amariſſimum auaritiæ iugum cum multis laboribus volunt ferre, & dulce iugum* meum, & *onus leue diſſimulant humeris ſuis imponere: malunt cum multis peccatis ſub ſarcinâ grauſuccumbere, quàm iugum meum, quod eos poteſt in cælum eleuare, ſuſcipere.* Fateor, aiebat Staurophila, ita agunt peccatores: sed tamen pietatis amantes, serui tui, prompto, vt arbitror, animo ad CRVCEM se accingunt.

Auguſt. Serm. 111. de Temp.

Crede mihi filia, aiebat Christus, habeo ego nunc *multos amatores regni cæleſtis, ſed paucos baiulatores meæ* CRVCIS. *Multos habeo deſideratores conſolationis, ſed paucos tribulationis. Omnes cupiunt mecum gaudere, pauci volunt* pro me *aliquid ſuſtinere. Multi me ſequuntur vſque ad fractionem panis, ſed pauci ad bibendum calicem paßionis. Multi miracula* mea *venerantur, pauci ignominiam* CRVCIS *ſequuntur. O quàm pauci,* Staurophila, *poſt* me *ire volunt, cùm tamen ad* me *peruenire nemo ſit qui nolit! Volunt omnes* me *frui, at non ita & imitari: conregnare cupiunt, ſed non compati. Non curant quærere, quem tamen*

Thomas à Kemp. lib. 2. de Imitat. Chriſti, cap. 11.

Bernard. Serm. 21. in Cant.

men desiderant inuenire, cupiente conſequi, ſed non ſequi.

Et vnde, quæſo, hoc mi Domine? aiebat Staurophila. Cui ille: Nimirum contingit paſſim, quod Sapiens ait: *Vult & non vult piger.* Quæris, quid hoc? *Imperare vult piger cum Chriſto, non ſubeſſe pro Chriſto: præmium amat, non prælium.* coronam deſiderat ſine certamine, ſine ſudore gloriam, ſine CRVCE, ſine tribulatione regnum cælorum. Prou. 13, 4. Hieron. in cap. 13. Prouerb.

Vnde autem, aiebat Staurophila, hæc voluntatis, quam experimur, in homine lucta? An fortè vnam habet voluntatem quæ velit, & alteram quæ nolit? Et vnde hoc monſtrum? & quare iſtud partim velle, partim nolle? *Imperat animus vt moueatur manus; & tanta eſt facilitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium: & animus, animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, vt velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum? & quare iſtud? imperat, inquam, vt velit; qui non imperaret niſi vellet; & non fit quod imperat.* Non monſtrum eſt hoc, ô Staurophila, reſpondebat Chriſtus, *ſed ægritudo animi; quia non totus aſſurgit, veritate ſubleuatus, conſuetudine prægrauatus. & ideò non ex toto vult, nec ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: & in tantum non fit quod imperat,* Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 9. Ibid. conſeq.

in quantum non vult. Sunt ergo velut duæ voluntates, quia vna earum tota non est; &
Ibid. c. 10. *hoc adest alteri quod deest alteri. Ita* quandoque *cùm æternitas delectat superiùs, & temporalis boni voluptas retentat inferiùs, eadem anima est*, quæ *non totâ voluntate illud aut hoc vult; & ideò discerpitur graui molestiâ, dum illud veritate proponit, hoc familiaritate non deponit.* Sed & ipsa, Domine, aiebat Staurophila, hoc nonnumquam experior, quòd dum vel maximè & seriò aliquod volo bonum, nescio quàm leuiter vel omittam, vel in aliud differam tempus: adeò vt bono proposito perquam rarò effectus respondeat. Hæc, aiebat Christus, imbecillitas humanæ mentis, quæ omni vertumno mutabilior est. Hæc inconstantia voluntatis in bono, quod vtcumque concupiscit, nec tamen generosè prosequitur. Simulachrum id dixerim potiùs, quàm veram voluntatem; tantum enim abest efficaciter vt velit, quod velle in speciem se fingit, vt potiùs nolle dicenda sit. Vidistin' aliquando Herculem in ostijs depictum, clauâ instructum, quam in obuium quemque vtraque manu validissimè vibrare videtur, neminem tamen percutit, neminem vel leuiter tangit, etiamsi millies id velle videatur? Huic tepidi homines prorsus simillimi, semper voliturientes, verè

num-

numquam volentes. *In imagine pertransit homo.* Proficiſci velle videtur, non proficiſcitur: molitur ambulare, non plus ambulat quàm homo pictus. Hoc igitur primùm diſce, Staurophila, in VIA CRVCIS primam curam hanc eſſe, vt magno animo, vt efficaci voluntate velis venire poſt me. *Nam non ſolùm ire, verùm etiam peruenire* ad me, *nihil eſt aliud quàm velle ire; ſed velle fortiter & integrè, non ſemiſauciam hac atque hac verſare & iactare voluntatem, hac parte aſſurgentem, cum aliâ parte cadente luctantem.* Laudati ſunt Iſraëlitæ, qui *in totâ voluntate quæſierunt Deum*, & ideò eum inuenerunt, quibus & Dominus præſtitit requiem per circuitum: hos ſequere, hos imitare.

Pſal. 38, 7.

Auguſt. l. 8. Confeſſ. cap. 8.

2. Paralip. 15, 15.

Mox Staurophila, *Concupiuit*, inquiebat, *anima mea deſiderare* viam iuſtificationum tuarum, REGIAM VIAM CRVCIS, viam ſalutis; ſed quis dabit mihi vt velim validiùs, & vt quod volo, valeam? *Sine me*, aiebat Chriſtus, *nihil potes facere*, & nequaquam peruenies ad me, niſi gradiendo poſt me: & ne hoc quidem, niſi adiuta à me. Quid igitur opus, niſi vt traharis poſt me, & dicas, *Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Ita, quæſo, aiebat Staurophila, mihi contingat Domine; & qui dixiſti, *Ego* cùm *exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me-*

Pſal. 118, 20.

Ioan. 15, 5.

Cant. 1, 3.

Ioan. 12, 32.

Bernard. Serm. 21. in Cant.

meipsum; me quoque trahe, *trahe*, inquam, *me post te*, *vt conuersationis* tuæ *valeam vestigia sequi*, *vt possim æmulari virtutem*, *normam tenere vitæ*, *& morum apprehendere disciplinam*. Da mihi *semper tuis inhærere vestigijs*, *ac sequi te quocumque ieris*: *quoniam* VIÆ *tuæ*, VIÆ *pulchræ*, *& omnes semitæ tuæ pacificæ*. Trahe quodammodò inuitam, vt facias voluntariam. Trahe torpentem, vt reddas currentem. Trahe me, inquam, & curremus post te: non ego sola, sed & sorores adolescentulæ mecum: dabo enim operam vt & illas adducam, & vnà mecum suaue CRVCIS subeant iugum.

Eia, inquiebat Christus, quantum spei tibi est in sororibus tuis? an non illæ proteruè restiterunt tibi? vt ne quidem ad cultum CRVCI adhibendum te comitari voluerint; hinc enim in auia hæc præcipitata es, & tu nunc eas adducas, vt CRVCI huic non vno die, aut altero, sed quotidie baiulandæ humeros supponant? Staurophila, verbo dicam, non facient. Confidentia tamen mihi multa est, inquiebat illa, quòd, auditis omnibus, quæ locutus est Dominus ad cor ancillæ suæ, facilè in meam ituræ sint sententiam. I verò, aiebat Christus, periculum fac; ego autem scio quòd neutiquam consentient; Noui enim duriſſimam ceruicem

earum:

carum: sed vade, adduc eas, crastinum intereà exspectabo diem, cùm hac horâ hîc rursum adero, vt in VIA CRVCIS deinceps instruaris. Dicebat hæc Christus, cùm subitò Staurophila eum disparuisse vidit, & se non longè à suburbano constitutam.

Inimici Crvcis Christi. Philip. 3, 18.



Quid fugis hinc? animo placet haud peritura voluptas
Nulla, vel huc ducet te CRVCIS *vna* VIA.

CAPVT IX.

Voluptati studentes CRVCEM *fugere.*

Inimici CRVCIS Christi. *Philipp.* 3, 18.

Quid fugis hinc? animo placet haud peritura voluptas?
Nulla, vel huc ducet te CRVCIS *vna* VIA.



DISCRVCIABANTVR animo sorores, anxiæ quidnam Staurophilæ accidisset, quæ integro die & nocte iam abfuisset. Vna, aberrasse, & per siluam vagari suspicabatur: altera, quod sola relicta esset, indignabundam domum repetiisse, & querelam apud patrem fortè deponere affirmabat. Hæc dum loquerentur, inopinatò ingressa est Staurophila, omnium sanè admiratione & gaudio; vbi magnâ statim contentione quæsitum, vbinam hesisset hactenus, quid actum, quomodo in villam rediisset. Illa, honesto nomine moram suam excusans, & nescio quid prætexens, sorores in partem seuocat, & prolixo sermone Christi apparitionem, suauissimum colloquium, explicatam vitæ æternæ semitam exponit; quanta denique gaudia, quot voluptates,

quos

quos hon[illegible]s illi consequantur qui VIAM illam sedulò perambulauerint : se proinde veniſſe, vt sorores tantæ felicitatis haberet socias. Illæ more suo se excusare, promiſſa illa dicere incerta, visionem, præstigias & illusiones vocare ; tandem absolutè recusare propositum iter susciperе : contrà Stauro-phila precibus & obsecrationibus id agere saltem in conspectum speciosissimi Iuuenis & colloquium venire ne detrectent ; haberi illum verba vitæ æternæ, penetrantia vsque ad ipsam animam, quam non difficulter possit conuertere, & ex nolente facere volentem. Multis vltrò citroque habitis sermonibus, spondent tandem comitatum, siue vt curiositati indulgerent, siue vt Stauro-philæ aliquousque gererent morem. Ad conclatum igitur veniunt locum, vbi statim fulgentissimâ facie Christus adfuit, & compendiò regni cælestis gaudia exposuit : verùm ad ea non nisi per CRVCEM aiebat, patere aditum ; proinde hortari se hanc breui tempore susciperent, quæ eis eam allatura esset voluptatem, quam *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Plura in hunc sensum dicebat, cùm subitò Hilaria : Et hoc scilicet est, quod non vanè suspicabar ; nihil scilicet hîc nisi tetrica & tristia me audituram : neque ego, bone Iuuenis, tam insi-

1. Corinth. 2, 9.

insipiens fuerim, vt omnibus huius vitæ voluptatibus me exuam, propter nescio quam alterius & melioris vitæ exspectationem, CRVCEM ego amaui numquam, nisi quæ in argenteis vel aureis fulget nummis, aut quæ aureorum aliquot millium quotannis adferat reditus. Tuam verò CRVCEM, longam illam & laboriosam, ego tenella haudquaquam susceperim.

Et, Nolis tu, filia, inquiebat Christus, breui CRVCE redimere æternam? nolis labore non admodum longo regnum obtinere æternum? nolis pro animæ salute exiguum aliquem ferre dolorem? Quàm vulgatum est illud:

Vt corpus redimas, ferrum patiaris & ignes; Ouid. lib. 1. De remed. amor.
Arida nec sitiens ora lauabis aquâ:
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Quid igitur?

Te totam vt salues, sit graue ferre CRVCEM?

Eheu, inquiebat Hilaria, *durus est hic sermo, & quis poterit eum* ferre? At durius, inquiebat Christus, audire, *Ite maledicti in ignem æternum.* Meliora spero, regerebat Hilaria, neque enim frustrà in Deum credo, & Christianis initiata sum sacris. Ioan. 6, 61. Matth. 25, 41.

Nihil proderit, respondebat Christus, *mortua sine operibus fides*. & si Christiana es, Iac. 2, 20.

quid Christi CRVCEM refugis? Nullus fe-
Auguſt.in Pſalm.55. uus Chriſti ſine tribulatione. *Si putas te n habere perſecutiones, nondum cæpiſti eſſe Chri ſtiana.* Illa rurſus: Dura res eſt dolor, CRV cruciatus. Imò tu mollis es, regerebat Chri ſtus, quæ nihil ferre conſueuiſti. Cui illa Non ego ſola, ſed pauci admodum dolo rem ferre potuerunt. Et Chriſtus: Eſto e
Matth.20, 16. paucis; *multi enim vocati, pauci verò electi* & puſillus eſt grex, cui Pater cæleſtis regnu dabit æternum. Repetebat Hilaria conſu tam cantilenam:
Tibull.l.3. Eleg.2. *Non ego firma ſatis: non hæc patientia noſtr Ingenio: frangit fortia corda dolor.*

Et quid poſſum? talem me, Domine, natu formauit. Naturam, aiebat Chriſtus, infa mare noli, illa fortes genuit. Vince natu ram, vt violenta cælum rapias. Et cur dicis non poſſe? dic potiùs, nolle. nam
Ouid.l.2. De remed. amor. *Poſſe patì facile eſt, tibi ni patientia deſit.*

Omnia ſanè potes in Deo, qui te confor tat. Et quàm multi pueri & puellæ, iuuene & virgines, ſenes cum iunioribus, relictis om nibus, CRVCEM acceperunt, & per varia tribulationes intrauerunt in regnum cælo-
Auguſt.l.8. Confeſſ. cap.11. rum? *Tu verò non poteris, quod iſti & iſtæ An iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo?*

Neſcio, inquiebat Hilaria, quæ illis mens,

quæ

quæ fortitudo animi fuerit: mihi certum est omnibus modis CRVCEM fugere. Vix enim vel hunc sermonem sustineo. Quid hoc est, inquiebat Christus, adeone tibi exosa salus, vt VIAM eius abijcere statuas? tam horrida tibi CRVX, vt verbum eius te in fugam conijciat? Attende, quæso, quid Apostolus Andreas iam iam crucifigendus fecerit, quid dixerit, & quàm grata ei CRVX fuerit. *Videns* enim *paratam eminus* CRVCEM, *nequaquam, (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non stetere comæ, aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit (vt assolet) intellectus: ex abundantiâ cordis os locutum est, & charitas, quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. O CRVX, inquit, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te.* Obsecro te, aiebat Hilaria, *homo est qui loquitur hæc, an Angelus, aut noua aliqua creatura? Homo*, inquiebat Christus, *planè similis vobis passibilis: nam passibilem eum passio ipsa testatur, quâ appropinquante tam lætabundus exultat. Vnde ergo*, subdebat Hilaria, *in homine noua hæc*

Bernard. Serm. 2. de S. Andreâ.

exultatio & lætitia hactenus inaudita? vn
in tantâ fragilitate tanta constantia? vnde
homine tam spiritualis mens, tam feruens ch
ritas, animus tam robustus? Non *à seipso*, d
Iacob.1, 17. cebat Christus, hæc *inerat ei virtus, donu*
Ps.135,4. hoc *perfectum erat, descendens à Patre lum*
num, ab eo vtique qui facit mirabilia mag
solus. Planè spiritus erat, qui adiuuabat inf
mitatem eius, per quem diffundebatur in cor
Rom.5,5. *ipsius fortis charitas vt mors, imò & forti*
Eccli.24, 27. *morte. Spiritus enim Dei super mel dulcis, i*
vt ne ipsa quidem dulcedini eius præuale
queat amarissima licet mortis amaritudo.

Ego verò, aiebat Hilaria, hoc spiritu dest
tuta, quid mirum si molestam sentiam, &
exosam habeam CRVCEM? Totâ sollicit
dine, aiebat Christus, quæras hunc spiritum
nam *qui quærit, inuenit*; & necesse prorsu
est hoc spiritu ornari. Quicumque enim
Rom.8,9. *spiritum Christi non habet, hic non est ei*
Non capio ego, subijciebat Hilaria, nequ
cupio hunc spiritum, qui ad dolores, CRV
CES, & angustias quærendas impellit: expe
tant eum, & exspectent quicumque velint;
ego sanè lætitiæ nihil, lethi autem in eo in
uenio plurimum. Nolo proinde quidquam
de eo ampliùs audire. Dixit hæc, & simul se
coniecit in pedes; cùm Christus ad Stauro-
philam: Ecce hoc est quod prædixeram:

noui

noui enim quàm pauci sint qui contendant CRVCEM tollere, & intrare per angustam portam. An non bonus ille adolescens, qui bono animo me accedebat, dicens: *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* cùm audisset, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me; abijt tristis?* Ita nimirum difficile est, diuites & voluptati studentes intrare in regnum cælorum. Quid ergo? inquiebat Staurophila, propter neglectam CRVCEM æternùm damnaretur soror, nec spes vlla esset salutis? Quid me interrogas? respondebat Christus; interroga Apostolum meum quid de illis sentiat. an non audiuisti cum lacrymis dicentem: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico)* INIMICOS CRVCIS CHRISTI, *quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Viden verò cur inimici sint CRVCIS? quia nimirũ voluptati indulgentes, ventrem Deum faciunt, terrena sapiunt, neglecto cælo. Quid igitur hinc consequens, nisi vt finis eorum sit interitus, & perditio æterna? Sic nimirum qui creaturam sibi facit Deum, numquam fruetur Creatore, & vero Deo.

Matth. 7, 13.

Matth. 19, 16.

Philipp. 3, 18.

Verbum CRVCIS pereuntibus stultitia est. 1. Corinth. 1, 18.



CRVX humilis ſapit haud altùm ſapientibus; illam
Aſt auidè, cælum cui ſapit, ille capit.

CAPVT X.

Honoris cupidos CRVCEM *spernere.*

Verbum CRVCIS pereuntibus stultitia est. 1. *Corinth.* 1, 18.

CRVX *humilis sapit haud altum sapientibus, illam*
Ast auidè, cælum cui sapit, ille capit.



TTONITA ad hæc Staurophila, altùm ingemiscebat; & ad alteram conuersa sororem, Ne, oro te Honoria, fugitiuâ hanc imiteris, quæ nõ tam se à CRVCE, quàm à IESV, & salute elongauit æternâ. Age nunc ingenuitatem nobilitatis tuæ cogita, & generosè CRVCEM suscipe, vt in æterna tabernacula, quò illa ducit, suscipiare. At illa fastu tumens, Egóne verò, inquit, infamem stipitem, seruile supplicium, arborem fatalem, infelix illud lignum, ignobilem trabem, nobilis virgo in humeros sustollam? *Nomen ipsum* CRVCIS (ait eloquentiæ parens) *absit non modò à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non so-* Cicero pro Rab.

lùm euentus atque perpessio, sed etiam conditio exspectatio, mentio denique indigna ciue Romanorum atque homine libero est. Vt quid ergo CRVCIS lignum velut pretiosum monile gestabo, quæ non nesciam, Cæcilium CRVCIS ligna feralia Octauio obiecisse?

Minutius Felix in Apologet.

Quid est quod loqueris, soror? aiebat Staurophila, aut quid frustrà Gentilium alias legas dicta? quasi verò nescias, CRVCIS lignum *decorem ex membris Domini suscepisse*, nec infamis stipes CRVX, aut fatalis arbor, sed inter omnes arbor vna nobilis,

Actas Andreæ.

Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpurâ,
Electa dignò stipite
Tam sancta membra tangere.

Venantius Fortun. in Hym.

Quid infaustam nominas arborem, quæ verè

Beata, cuius brachijs
Pretium pependit sæculi?

Infelix vocas lignum, cum Senecâ & Liuio, quod meliùs cum Sibyllâ diceres,

Seneca Epist. 121. Liuius l. 4. Sibylla apud Sozomen. lib. 2. c. 1.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!

& cum Ecclesiâ:

Venant. Fortun. in Hym.

Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinens.

Lignum CRVCIS contumelijs dignum visum est inimicis, *ijs autem qui salui fiunt, id est, nobis*, verbum CRVCIS *Dei virtus est.*

1. Corinth. 1, 18.

Quid

Quid verò nobilitatem iactas? cùm summa ingenuitas ista sit (vt S. Agatha dixit) in quâ seruitus Christi comprobatur. Sancta illa nobilissimis orta natalibus, ab ignobili gaudens trahebatur ad carcerem, & exultans dicebat: *Ancilla Christi sum, ideò me ostendo seruilem habere personam. Multò enim præstantior est Christiana humilitas & seruitus, Regum opibus ac superbiâ.* Et verò tu nunc videris cui seruias, Christo an dæmoni, virtuti an peccato. *Qui* enim *facit peccatum, seruus est peccati.* Et quis est qui non peccet? *In multis* sanè *offendimus omnes.* Proinde vel hoc nomine CRVCEM refugere non oporteret. Nam fugitiui olim serui, aut aliàs flagitiosi, si commeritum supplicium illis condonaretur, in signum ignominiæ CRVCEM vestibus insertam aut depictam deferebant, vnde Cruciferi aut Cruciarij dicebantur. Cur ergo tu, quæ æternam non semel commerita es CRVCEM, non feras temporariam, si illa pro hac tibi condonetur?

Breuiar. Rom. in eius Festo.

Ioan. 8, 34.

Iac. 3, 2.

Ita Daniel Malonius in Hist. de Christi stigmatibus Sindonii impressis c. 4. n. 5.

Tu quidem Staurophila, inquiebat Honoria, importuna concionatrix es: sed mihi nō persuaseris. Tu, vt lubuerit, & Crucifera, & Cruciaria, & discipula CRVCIS esto; ego hanc infamiam numquam admisero. Dixit hæc, & petulantissimè simul insiliit in subiectam CRVCEM, probris illam & conuitiis

excipiens, &, quod maximè indignum, etiam consputans.

At Christus immemor iniuriæ, memor clementiæ, vtramque sic affatus est: *Si magnæ pietatis sacramentum intelligitis, & quod pro salute humani generis ego vnigenitus Dei Filius gessi, aduertitis, hoc,* quæso, *sentite in vobis, quod & in* me *Christo Iesu, cuius humilitas nulli aspernanda diuitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum proueh̃i potest quælibet felicitas humana fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod ego manens in formâ Dei Deus, non sum arbitratus indigñ.* Et quid gloriaris de nobilitate, cùm ego sim Rex Regum, & Dominus dominantium; qui tamen CRVCEM *idcircò elegi, vt in eâ tota diabolicæ dominationis contereretur aduersitas, & de elatione superbiæ victrix humilitas triumpharet.* Subieci humeros CRVCI, & coram toto mundo eam baiulaui, vt sequentibus me præberem exemplum. Quid enim? *Grande* profectò hoc fuit *spectaculum! sed si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum.* Rursum, *si spectet impietas, videt Regem pro virgâ regni, lignum sui portare supplicij: si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat in frontibus Regum; in eo pernendus oculis impiorum,*

Leo Ser. 2. de Resurr.

Philipp. 2, 5.

Leo Serm. 4. de Pass.

August. Tract. 117. in Ioan.

piorum, in quo erant gloriatura contra sanctorum. Cui ergo deinceps intolerabilis videbitur CRVX, quam Rex gloriæ non duxit sibi ingloriam? an non prorsus intolerabilis impudentiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat?

Audiebant hæc quidem ambæ, dispari tamen euentu: Honoria enim his sermonibus exasperata, cum indignatione recessit; Staurophila verò intimè compuncta, nihil prætexere sciebat præter humanam infirmitatem, & apparens dedecus: Et quis, inquit, est Domine, qui illustri loco natus ludibrio se haberi patiatur? Quid? inquiebat Christus, an non audisti, vt Dauid ob pietatis cultum à Michol irrisus fecerit? & quid dixit ille? *Ludam*, inquit, *& vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis. Bonus* hic, ô filia, *ludus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficiuntur* serui mei *opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuerà quid aliud sæcularibus, quàm ludere videntur, cùm, quod ipsi appetunt in hoc sæculo, illi contrà fugiunt; & quod ipsi fugiunt, illi appetunt?* 2. Reg. 6. 22. Bernard. Epist. 87.

Pulchrum hoc exemplum, inquiebat Staurophila, sed antiquum; & hodie plures inuenias,

uenias, qui Michol ad viuum repræsentem quàm qui Dauidem. Ita est, aiebat Christus, sed non defuerunt posterioribus etiam sæculis illustres personæ, contemptus sui illustrissima exhibentes testimonia: accipe vnum in Rege mirandum, & imitandum.

Ealred. in Vitâ sancti Eduardi.

Cùm in palatio iuxta Ecclesiam B. Petri Anglorum Rex Eduardus aliquando moraretur, superuenit quidam vir, Hibernicus genere, pedis vtriusque priuatus officio. Nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhæserant, immersique carnibus pedum articuli, à lumbis eius & deorsum corpus omne peruerterant: porrectis ad terram manibus, & scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi grauis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec mouebit te mea tanta calamitas? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper, Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (vt cernis) visitaui, & sanitatem necdum promeruit. Quam tamen mihi Apostolorum Princeps non negauit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi nouit in omnibus esse deuotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi, Regem adire, vt me suo sacro subuectum dorso ad

Ec-

Ecclesiam eius, quæ palatio vicina sit, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum integram sanitatem. Hæc vbi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo, & citatus mox æger accessit. Rex verò, vt spiritalis ille *asinus fortis, accubans inter terminos, supposuit humerum suum ad portandum.* Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus, brachijsque squamosis Regium illud pectus collumque complectitur. Intereà ex assistentibus ridebant nonnulli, alij à paupere Regem delusum iocabantur; alij simplicitatem iusti, fatuitatem iudicabant. Cùm itaque Rex paululum processisset, subitò nerui extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt à carne articuli, pedes à natibus soluuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sanie cum sanguine profluente, vestis Regia ornatur potiùs, quàm fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ac sordes vlcerum deponendum. Ille verò memor præcepti quod susceperat, Sirenarum cantus obturatâ aure pertransiit: ingressusque Ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Quid tibi videtur, Staurophila, de hoc Rege? Genes. 49. 14.

Lau-

Laudo, inquiebat illa, humilitatem & demissionis studium, scio tamen quòd sæculi homines id stultitiam & insaniam reputarent. Cui Christus: Ita esse, & Apostolus meus indicauit: *Verbum* enim CRVCIS *pereuntibus stultitia est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*; & ideò *non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles* ad prædicandum CRVCIS mysterium electi sunt; *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, vt confundat fortia.* Noli igitur, Staurophila, noli ob mundanorum subsannationes baiulationem detrectare CRVCIS: maxima enim sapientia est, pro Deo stultum velle reputari, & cum Apostolo dicere: *Nos stulti propter Christum. &: Spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus.* *Noluit *Moyses Rex esse, cùm posset, sed opprobrium Christi thesauris Aegypti arbitratus est præferendum:* sed *fugiendo potentiam, potentior factus est. Et tu contemne quæ sæculi sunt, & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitijs.* Irrideant nunc viri illusores Staurophoros meos, quos Gentiles CRVCIS *religiosos* appellare soliti sunt: erit aliquando tempus, cùm sapientem hanc vestram laudabunt insipientiam, & serò nimis dam-

1. Corinth. 1,18.

vbi suprà v. 26.

1. Corinth. 4,9.

Ibid. v. 10.

*Ambr. in Psal. 118. & Epist. 30 ad Sabin.

Tertul. in Apolog. c. 16.

damnabunt suam. Cùm enim in extremo iudicij die impij videbunt iustorum gloriam, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Sap. 5, 2.

CA-

Multa flagella peccatorum. *Psal.* 31,10.



Spreuerunt minimam, grauiorem adiguntur iniquæ,
Quo magis exhorrent, hoc magè ferre CRVCEM.

CAPVT XI.

Peccatoribus maiorem à dæmone imponi CRVCEM.

Multa flagella peccatorum. *Psal.* 31, 10.

Spreuerunt minimam, grauiorem adiguntur iniquæ,
Quò magis exhorrent, hoc magè ferre CRVCEM.



NON poterat Staurophila non meminisse fugæ germanarum suarum, quæ oculis & animo ipsius continuò obuersabatur. quare ita Christum compellat: Vt sileam, Domine, de futurâ vitâ, auet tamen animus scire, num in hac saltem fugitiuæ illæ degent sine CRVCE. Ideò enim se subduxerunt, vt in delicijs & honoribus sine cruciatu viuant.

Nequaquam, aiebat Christus, hîc immunes erunt: *nam qui me per* CRVCEM *sequi recusat, semper illum* CRVX *ipsa prosequetur.* Et * *mortalis nemo est, quem non attingat dolor.* Quemadmodum enim mori omnibus contingit, ita & pati: & sicut mortuus quisque suum habet sepulchrum, sic viuens

Pinell. l. 4. De perfect. Relig. c. 10. *Euripid. apud Cicer. in Tuscul. 3.

suam CRVCEM. Quando moritur, CRV
ante illum portatur: quando oritur, CRV
Eccli.41,1. illi portanda imponitur. *Occupatio* enim m
*gna creata est omnibus hominibus, & iugu
graue super filios Adam, à die exitus de ventr
matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in ma
trem omnium.* Noli errare, mea Staurophil
Chryſoſt. Hom.67. adAntioch. *multæ sunt & planè diuersæ* CRVCIS *cau
& omnino nullus inueniri potest à tristitiâ
mœrore liber. Sicut enim nauigans non pote
non cum varijs periculis conflictari; ita q
hanc vitam viuit, non potest non in tribula
tione & CRVCE versari. Omnes enim, cuiu
cumque sortis sint, varias* CRVCIS *causas h
bent, hic quidem ab vxore, hic à filio, alter
seruo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vi
cino quidam, quidam ex fortunarum iacturâ.*

Ouid.l.2. De remed. amor. *Et quis non causas mille doloris habet?*

Thom.à Kemp.l.3. De imit. Christi cap.12. *Sed habent sæculi homines,* inquiebat Stau
rophila, *multas etiam delectationes, & pro
prias sequuntur voluntates: ideoq; parum pon
derant suas tribulationes &* CRVCES. Cu
Christus: *Esto, ita sit, & habeant quidquid
voluerint: sed quàm diu putas durabit? Ecce*

Psal.63,3. *quemadmodum fumus deficient abundantes in
sæculo, & nulla erit recordatio præteritorum
gaudiorum. Sed & cùm adhuc viuunt, non si
ne amaritudine, & tædio ac timore in eis quie
scunt. Ex eadem namque re, vnde sibi dele
ctatio-*

ctationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Iustè illis fit: vt, quia inordinatè delectationes quærunt & sequuntur, non sine confusione & amaritudine eas expleant. * *Iussit* enim Deus, *& sic est, vt pœna sua sibi sit inordinatus animus.* Videre tamen est, aiebat Staurophila, Reges, Imperatores, Principes, & quibus supremum in alios ius, quorum voluntati nullus reluctari audeat, nihil aut admodum parum de CRVCE participant. Respondebat Christus: Nullo modo hi excipiuntur. *Neque enim Rex procul à curis & CRVCE vitam agit, sed vitam viuit plenam multis tribulationibus & curis. Neque diadema respicias, sed curarum tempestatem, per quam ipsi corona paritur: neque purpuram intuere, sed animam ipsâ purpurâ magis nigrescentem. Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo: nec satellitum cateruam, sed molestiarum multitudinem spectа. Nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot Regiæ sunt CRVCES per singulos dies exspectandæ.* Vt video, inquiebat Staurophila, & illis CRVCES non desunt, quibus deesse vel maximè putantur. Quid dicam, Staurophila? inquiebat Christus. *Militia*, & continua tentatio *est vita hominis super terram: & tam abundantia quàm inopia solet esse materia peccati, cùm vel diues*

*Augustin. l. 1. Confess. c. 12.

Chrysost. Hom. 66. ad Pop. Antioch.

Iob. 7, 1.

Prosper.

extollitur ad superbiam, vel pauper prosilit ad querelam, & vtrimque non leuis exoritur

Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 28. CRVX. *Væ prosperitatibus sæculi semel & iterùm, à timore aduersitatis, & à corruptione lætitiæ! Væ aduersitatibus sæculi, semel & iterùm, & tertiò, à desiderio prosperitatis! Et quia ipsa aduersitas dura est, & naufragatu lerantia, numquid non tentatio est vita humana super terram, sine vllo interstitio.*

Fateor, Domine, aiebat Staurophila, in hac tentatione frequentes & graues esse lapsus. Sed peccatores hoc non CRVCEM arbitrantur, sed lætam & gratam admodum occupationem. Ita quidem nunc, aiebat Christus, sed aliter in alterâ vitâ iudicabunt. An

Sap. 5, 7. non hæc impiorum vox: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*: VIAM *autem Domini ignorauimus?* **Iugum meum suaue est, & onus meum*

*Matth. 11, 30. *leue*, quod qui tollunt, inueniunt requiem animabus suis. Sarcina autem peccatorum

Zachar. 5, 7. Ierem. 16, 13. est velut *talentum plumbi*, quod sicut onus graue grauatur super eos. Deinde, *seruiunt hi dijs alienis die ac nocte, qui non dant eis requiem.* **Quidquid enim peccatur, quidquid*

*Hieron. in cap. 16. Ierem. *malorum operum die ac nocte fit, imperium est dæmonum, qui numquam dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum.* Et vide mihi labo-

rio-

rioſam peccatorum defatigationem in fortiſſimo illo Samſone deſignatam. Ille enim blanditiis vxoris ſuperatus, rasâ cæſarie traditur Allophylis, excæcatur, mittitur in carcerem, & vertendis molis velut aſinus deputatur. Sic patiatur neceſſe eſt, quiſquis Dalilæ, id eſt, carni ſuæ, nimiùm blandiens, illius ſe arbitrio committit. Hic enim ſpirituali robore ab eâ exſpoliatur, & hoſtibus, mundo, carni, & diabolo, futurum mancipium traditur. Quid verò à crudelibus his dominis non patitur? lumine rationis orbatur, & inſtar beſtiæ molam torquere aſinariam cogitur. *Conſidera huiuſmodi vitam, & tota tibi ſpecies iumenti molentis occurret. Vt illud pannis oculos corporis, ſic iſte ſordibus vitæ ſuæ, oculos mentis obſitus, per errores ſuorum ſenſuum, quaſi circa ambages molarum, laboriosâ miſer ſtatione verſatur. Stat in viâ peccatorum compeditus vinculis cupiditatum ſuarum, & ipſe ſibi carcer eſt, obſeſſus tenebris erroris ſui, & conſcientiæ ſqualore concretus: in ſemetipſo piſtrini ergaſtulum patitur; ſaxum cordis ſui, pertinaciâ iniquitatis induratum, quaſi molam verſat; farinam hoſtibus ſuis de corruptâ animæ ſuæ fruge conficiens.* O quantâ hoc piſtrinum defatigationis præbet materiâ! quàm meritò per Prophetâ clamat Dominus: *Quieſcite agere peruersè!*

Iudic. 16, 16.

Paulin. Epiſt. 4. ad Seuer.

Iſaiæ 1, 16.

Et verò quàm difficiles vias ambulant pec-
Psal. 34, 6. catores! *Viæ enim eorum tenebræ & lubri-*
Lorinus in c. 5. Sap. vers. 7. *cum*, nesciunt vbi corruant. Et considera, quæso, quemadmodum in iis luto fœdentur intemperantes, lapidibus lædantur auari, arduitate lassentur ambitiosi, spinis cruententur iracundi, tenebris occæcentur inuidi, turbâ comprimantur adulatores, inæqualitate & confragositate retardentur acediosi.
Psal. 13, 3. Denique *contritio & infelicitas in vijs eorum.* Video planissimè, subdebat Staurophila, non vnam malos manere CRVCEM: sed tamen videntur quietè admodum & tranquillè vitam ducere, securi prorsus imminentium periculorum. Verè dixisti, respondebat Christus, videri eos tranquillam vitam ducere: videtur enim, non verè est. Torquet enim eos conscientia delictorum, nec vermis ille continuè rodens vllam eis concedit requiem. Magnum, aiebat Staurophila, tormentum inquieta conscientia, animum continuè flagellans & discrucians.
August. in Psal. 45. Subdebat Christus: Ita est. *Inter omnes enim tribulationes humanæ animæ, nulla maior est tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanusq; sit intus hominis, quod conscientia vocatur, vbicumque alibi passus fuerit tribulationes, illic confugiat, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non*

est,

est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est; quid facturus est homo? quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum: & sequetur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat non habet, nisi interiùs ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris; non illuc potest confugere: pellitur enim inde; & cùm inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum inuenit quò confugerat, seipsum quò fugiturus est? Quocumque fugerit, se talem trahit post se: & quocumque talem traxerit se, cruciat se. Et quis animorum hæc tormenta æquo sustineat animo, quæ æternorum sunt veluti præambula? Nam *vt Cruciarij, Romano ritu* CRVCEM *suam ferebant, ipsi ab eâ mox ferendi; sic impijs omnibus, conscientiæ hanc* CRVCEM *Deus imposuit, in quâ pœnas luant, priusquam luant.* I nunc, Stauro-phila, & felices puta, quibus opes, potentia, voluptates circumfusæ: verè enim non sunt, quamdiu carnifex ille animus quotidie eos minutis ictibus cruciat & pungit, ac lento illo passu ducit ad mortem æternam.

Lipsi. l. 2. de Constant. cap. 14.

CAPVT XII.

Voluptuarijs, auaris, ambitiosis, & Aulicis suas non deesse CRVCES.

MISERA hæc CRVX peccatorum, inquiebat Staurophila miserere mei, misericors Domine, ne incidam in illam. Non peccatoribus dumtaxat aiebat Christus, sed omnibus omnino suas sunt CRVCES, *laborumq; exors nullus est, nec erit.* * *Ineſt enim ſingulis* vitæ conditionibus, *quod inexpertus ignoret, & expertus exhorreat.* Vis audire testem certissimum? Salomon Rex omnia huius vitæ commoda, delicias & voluptates expertus, hoc de illis tandem affirmauit: *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* In omnibus enim quædam insunt, quæ affligant & excrucient.

Pindar. Hym. 4. *Boët. l. 2. de Consol. prosâ 4.

Eccle. 1, 14.

Satis id quidem paradoxum hominibus videbitur, aiebat Staurophila, &, ne dissimulem, ægrè ipsa id assequor. quare pergat, quæso, Dominus meus ancillæ suæ hanc veritatem exponere. Animaduerte igitur, respondebat Christus: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculi-*

1 Ioan. 2, 16.

oculorum, & superbia vitæ. Aut enim carnales delicias, aut diuitias, aut honores, mundani quærunt. Et quidem voluptates plus fellis quàm mellis habent: vt non malè è sæculi sapientibus quidam dixerit: *Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis voluptatem hominibus à naturâ datam, eamq́, quò maior est, omne animi lumen extinguere.* Vt quid igitur, interrogabat Staurophila, voluptates nuncupantur, si nihil volupe, amaritudinis autem habeant plurimum? Cui Christus: Deliciæ sibiipsis contrariæ sunt. vnde nescio quomodo nomen hoc habeant, cùm iniucundæ sint. *Non tam vehementer fluuialium aquarum cursus ripas corrodere solet, sicut deliciæ & luxus omnia valetudinis nostræ firmamenta facilè subruunt. Si enim medicinalem ingrediaris officinam, omnes ferè morborum causas illic inuenies esse. Vilis enim tenuisq́, mensa,* vt loquuntur Medicorum pueri, *sanitatis mater est: saturitas verò ægritudinis mater est, morbosq́, parit ipsorum quoque Medicorum artem transgredientes: pedum enim dolores, & capitis grauedines & vertigines, & manuum cruciatus, & tremores, & remissiones, & alia his multò plura, ex saturitate nasci solent. Si verò vis animi morbos inde nascentes videre, auaritiæ, mollitiæ, melancholiæ, ignauiæ, omnes ignorantiæ hinc habent principium:*

Archita Tarent.

Chrysost. Hom. 54. & 55 ad Antioch.

nihilo namque fiunt asinis meliores animi, tu
lium mensarum delicias sectantes. Prætere
lubens blandam ruinam melioris ætatis, lu
xuriam dico, *obscœnum ludibrium redde*
ministris suis, nec corporibus parcens, nec an
mis. Et notum satis est, eum *qui fornicatu*
in corpus suum peccare. Deliciæ mihi, in
quiebat Staurophila, deliciarum CRVCES &
tormenta intelligere; quas vel ideò deince
minùs, vti spero, affectabo. Prudenter, re
ponebat Christus, feceris. Quid enim solid
in iis inuenias? nam *turbidæ hæ voluptate*
cùm appetuntur, plenæ anxietatis; cùm expl
tæ sunt, pœnitentiæ sunt refertæ: & intoleru
biles dolores, quasi quemdam fructum negu
tiæ, fruentium solent referre corporibus. N
mirum

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Atque hi quidem sunt cruciatus martyrum
carnis & huius sæculi.

Exspecto, inquiebat Staurophila, an diui-
tijs tanta quoque insit carnificina & CRVX.
Quid verò dubitas? aiebat Christus, quas
vel ideò *spinas* appellaui, quia vt illæ dum
insi-

Cyprian. de Bono pudicit.

1. Corinth. 6, 15.

Boët. lib. 3. de Consolat. prof. 7.

Boët. lib. 3. Metro 7.

Matth. 13, 22.

infiguntur, hærent, dolorem creant; sic *diuitiæ magno labore acquiruntur maiore timore conseruantur, maximo dolore amittuntur.* Hinc miserum auari martyrium, cuius *animam mordaces hæ curæ continuò absumunt. Canis latrat; auarus putat furem esse. Mus fortè perstrepit, & auari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habet. Filios iam grandes, vt insidiatores aspicit, quòd eorum iam ætas successionem expetere videatur.* Et attentiùs, quæso, vide, *amatores auri quanta patiantur. Hiemalibus asperitatibus se nauigando committunt: sic feruet auaritia, vt nulla formident frigora: iactantur ventis, suspenduntur & deprimuntur fluctibus; ineffabilibus periculis vsque ad mortem agitantur. Dicant & ipsi auro: Propter te mortificamur tota die.* Imò ne nocte quidem requiescunt; somnum enim expellunt de lucro sollicitudines, vt verè etiam possint dicere, *Quis nos separabit à cupiditate auri? tribulatio? an angustia? an persecutio?* Magnam habet, aiebat Stauro-phila, cum vero martyrio auari hic cruciatus similitudinem: sed in eo maximè distat, quòd sine merito sit, quin & magno (vt equidem suspicor) animarum dispendio. Non hæc suspicio est, aiebat Christus, sed ipsa veritas. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: & facilius*

Ludolph. de Vit. Christi part. 1. c 64

Basil. Homil. in aliquot Scriptur. loc.

Augustin. Serm. 100. de Diuers. cap. 6.

Ps. 43, 12. Augustin. Serm. 50. de Sanctis.

1. Tim. 6, 9. Luc. 18, 25.

lius est camelum transire per foramen acu quàm diuitem intrare in regnum cælorum. E vide, quæso, vt auari CRVX, infernalis miseriæ quamdam præferat imaginem, *nec enim deest* illi *vnda Tantali, Titij iecur, rota Ixionis, vrna Belidum, saxum Sisiphi, dum inter diuitias esurit, dum sollicitudinibus anxiatur, dum cupiditate torquetur, dum ad illicita rapitur, dum in saccum pertusum congregat, dum congregando diuitias, labore continuo & superuacuo* se *affligit.* Non immeritò, inquiebat Staurophila, in Euangelio horridum illud *væ* intentatum est diuitibus, si talis eorum tam in hoc quàm futuro sæculo conditio.

Blesen. Epist. 91.

Luc. 6, 24.

Subtexam nunc, aiebat Christus, animalia illa gloriæ & honorum mancipia, quibus sua quoque non deest CRVX & tortura. Per quot enim ærumnas, honores petuntur? *namque illos qui ambitu abeunt capessendi magistratus, neque pudet neque piget incommodis animæ & corporis; nec incommodis tantùm, verùm & contumelijs omnibus eniti in causâ votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes, nullis conuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis & læti-*

Tertull. lib. extrem. de Pœnit.

lætitiæ felicitate, idq; totum propter vnius anni volaticum gaudium. Eheu! quantis laboribus & doloribus honores & dignitates petuntur! Ambitiosus vt *dominetur alijs, priùs seruit; curuatur obsequio, vt honore donetur. Confragosa in fastigium dignitatis via est.* Ambitio ipsi naturæ vim parat. *Quid Cn. Pompeium in Africam, quid in Septemtrionem? quid Mithridatem & in Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi vni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus.* Iam verò si cui honor desideratus negetur, quantum is se torquet & cruciat! Sedebat Mardochæus ante fores palatij, sed quia non assurgebat Amano, indignatus is est valdè, vt diceret, se, cùm plurima haberet, nihil habere se putare, quamdiu videret Mardochæum sedentem ante fores regias. Et res hæc, quæ leuis videri poterat, animum eius adeò pupugit, vt iusserit excelsam parari CRVCEM, in quam Mardochæus tolleretur. Sed vt ad curiam & palatium hîc nos sermo duxit? Ingrediamur sanè, erunt & hîc quas consideres CRVCES.

Ambros. lib. 4. in Luc. c. 4.

Seneca Epist. 94.

Esther 5, 9.

Aulicos vulgus suspicit, ignorans quantis pateant periculis. *Mare qui intrat, & nauigat,*

Lips. Cent. 4. miscel. Epist. 53.

*Polyb. lib. 5.

gat, fluctus exspectat; qui aulam, motus. *Re-uerà enim hi similes sunt abaculorum calculi. Isti enim secundùm computantis arbitrium modò ærei sunt, modò aurei: & aulici ad nu-tum Regis nunc beati, nunc miseri.* Quàm multi post crepantes adulationum bullas opprobrium hominum facti, *interdum vi-que ad inimicorum dolorem deuenustati, & rebus humanis, veluti vomitu fortunæ nau-seantis exsputi sunt.* Intelligo iam, aiebat Staurophila, quàm benè is dixerit, qui dixit:

Sidon. l. 1. Epist. 7.

Blesens. Carm. de Luctu carn. & spirit.

Desere palatia, nam curia
Curis, imò CRVCIBVS, *& mortibus,*
Semper est obnoxia.

Idem Epistolâ 14.

Non aliter est, aiebat Christus: *pro vanissi-mâ enim vanitate militant curiales, in labore, & ærumnâ, in vigilijs multis, in periculis magnis: periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, perici-lis in falsis fratribus: in mortibus frequenter, in confractione & laßitudine corporis, atque in alijs vitæ discriminibus, in quibus gloriam martyrij mererentur, si hæc pro meo nomine sustinerent. Nunc autem sunt martyres sæcu-li, mundi professores, discipuli curiæ, milites Herluini. Per multas siquidem tribulationes promerentur infernum.* Vide nunc, an à CRVCIBVS liberi sint aulici: & disce, longè

plura

plura pro mundo tolerare sæculi martyres, quàm multi pro Deo & æternâ salute. Subijciebat Staurophila: Cum Senecâ ergo iure dixerim:

Stet, quicumque volet, potens Seneca in
Aulæ culmine lubrico: Thyeste.
Me dulcis saturet quies.

CAPVT XIII.

Coniugatorum CRVCES.



ONDVM omnes sæcularium CRVCES, aiebat Christus, explicauimus: supereſt enim matrimonij ſtatus, in quem, velut denſiſſimo imbre, mœrores, anxietates, angores & CRVCES depluunt: ratum enim fixumque manet, quod Apoſtolus dixit: *Si acceperis vxorem, non peccasti;* 1. Corinth. 7, 28. *tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Quid hoc eſt, Domine, inquiebat Staurophila? *Ego, rerum ignara, putabam nuptias ſaltem carnis habere lætitiam. Si autem* Hieron. lib. contra Iouinian. *nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in quâ ſolâ videbantur habere delicias, quid ergo erit reliquum, propter quod nubant, cùm & in ſpiritu, & in animâ, & in ipsâ carne tribulatio ſit?* Ita eſt, reſpõdebat Chriſtus, & quæ optima

ma in matrimonio iudicantur, ea ipsa mul-
to sunt felle respersa.

In bonis huius status numerant insolubi-
Matth. 19, 6. litatem, vt *quod Deus coniunxit, homo non separet*, sed compedes & vincula hoc modo quoque bona censeantur: vinculum enim
1. Corinth. 7, 39. & ligatura est coniugium. vnde Paulus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit*. Et de viro: *Alligatus es vxori? noli*
Chrysost. lib. de Virginit. *quærere solutionem. Quemadmodum enim serui fugitiui singuli separatim vincti à suis dominis, rursumq; tenui quadam catenâ inter se constricti vniuersi, vt compedibus catenæ vtrimque affixis, alius alium sequi cogatur, liberam non habet abeundi facultatem; sic coniugum animæ, cùm propriam sui curam sustinent, tum alterâ etiam premuntur necessitate à communibus coniugij vinculis impositâ, quæ eis grauiùs vrget omnibus vinculis: & hoc ipso alteri vtroque libertatem aufert, quòd alteri ne semel quidem principatum defert, sed vtrique distribuit.* Quanta verò hæc seruitus? *Seruus enim, si quando paratâ pecuniâ pretium, quo emptus est, persoluere potuerit, plerumque libertas conceditur; at vir, quamuis omnium difficillimam nactus sit vxorem, seruitutem tamen perferre necesse habet: quippe qui nullam potest inire viam, quâ solutus eiusmodi dominatu liberetur.* Eadem vxoris conditio,

Ibidem Chrysost.

quæ

quæ *Dominum sibi cum dote coëmens virum, ancilla pro liberâ efficitur, breuissimæq; voluptatis gratiâ, naturali libertate se priuans, ianuam sibi ineffabiliũ dolorum, perpetuiq; mœroris, per huiusmodi connubium aperit.* Basil. de Verâ virginit.

Sed enim, inquiebat Staurophila, vt vincula hæc communia sunt, ita mutuò sese coniuges iuuant, onusque in duos diuisum fertur leuiùs. Imò verò, inquiebat Christus, aggrauant inuicem iugum: nam *quæ bonum blandumq; nacta est virum, perpetuo, ne moriatur, metu viduitatis, incommoda cruciatusq; iam sustinet: duram quamdam & immitem curam, & præsente illo, & absente, propter insperatos casus, animo indesinenter excipiens. Sin verò contrà duro & immiti fuerit coniuncta, tota quidem vita illi cruciatus est. Et cùm pudicitiæ ratione neutrum queat eligere, id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias; nec vitam, ob molestiam incommodumq; conuictus; ancipiti atque ineuitabili malo acerrimisq; doloribus semper atteritur.* Benignior, inquiebat Staurophila, virorum apparet sors, qui tantis non subiacent periculis. Haud multò melior, respondebat Christus, eorum status; quia vniuersæ familiæ curandæ in se onus recipiunt. *Si mihi, inquit quidam, tale corpus alterum, quale meum est, accederet, tantum negotiorum mihi exhibens pro sanitate* Basil. loc. cit. Antiphon apud Stobæum Serm. 68.

& victu in dies colligendo, & pro gloriâ temperantiâ celebrisq; famæ, ac benè audien gratiâ, non possem viuere. Quid igitur fier si alterum quoquè tale corpus similiter m procurandum esset? Itaque constat, quòd vx etsi viro charissima fuerit, non minus tamen faceſſat negotij circa amores aut dolores, qu ipsemet sibi. Iam verò si muliebre attend ingenium, quod plerumque morosum e & rara omnino auis, quæ huiusmodi nonſ iuge hinc & ad totam vitam protensum v

Prou. 21, 19. dere erit tormentum: *Melius est habitare terrâ desertâ, quàm cum muliere rixosâ & in*

Prou. 27, 15. *cundâ. Tecta perstillantia in die frigoris & l tigiosa mulier comparantur: qui retinet ea quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ su*

Eccli. 25, 22. *vocet. Non est caput nequius super caput colu bri; non est ira super iram mulieris. Commor*

Id ostendit Hieron. lib. 1. in Iouinian. *ri leoni & draconi placebit, quàm habitare cu muliere nequam.* Et hæc non de adulterâ & meretrice, sed de legitimâ dicuntur vxor Cum huiusmodi igitur vitam omnem di noctuque exigere, an non est in perpetu spinis ac sentibus volutari? quibus tame adeò arctè fis implicitus, vt excutere has a rumnas solâ morte possis.

At non omnes, inquiebat Staurophila, i malam incidunt vxorem: sunt enim & mi tes, & benignæ, & taciturnæ. Si sint, respon-

debat

debat Christus, sunt admodum raræ. Salomoni, qui mulierum greges habuit, hoc crede. *Inueni*, ait, *amariorem morte mulierem. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* quasi diceret, Vix inueni vnum virum bonum & rectum, mulierem autem ne vnam quidem. At solatium aliquod, aiebat Staurophila, habent in proli-bus, in quibus alteros velut se contemplantur, quos & tenerrimè diligunt, & magnâ voluptate, vt passim cernimus, educant. Imò ad malorum cumulum, aiebat Christus, accedunt liberi: quot enim pignora, tot CRVCES. *Partu edita est quæpiam femina: quòd natus non sit masculus, tetricum maritus vultum gerit. Adiectus est masculus? partu editus est fœtus, qui formosus non est. Eleganti est formâ vterque? tamquam de pulchris acerbior cura incessit. Depulsi sunt à lacte? rursus anxietas educationis succedit. Cùm sani fuerint, metus ne ægrotent. Cùm ægrotauerint, formido ne moriantur. Cùm mortui fuerint, metus ne deinceps prole carens, contemnatur. Cùm mortui non fuerint, de viuentibus grauior sollicitudo incumbit, vnde liberis ad institutionem sumptus suppeditabuntur; vnde coniugalis fœderis apparatus; vnde vestimentorum decor, vnde famulorum vnicuique distributio; quænam ex bonis maiori attribuet? quo*

Eccle. 7, 27.

Chrysost. Orat. de S. Theclâ.

pacto minoris inuidiam mitigabit? Ecquid ia
tibi videtur?

Mirum profectò, aiebat Staurophila, i
inde lacrymarum segetem meti parentibu
vnde baculum senectutis & mœroris exsp
ctabant leuamen. Ita est, reponebat Chr
stus, *dolorem enim liberi nati æquè impo*
tant, ac non nati: & rursus tam viui, qua
mortui. Hic enim liberorum multitudine ga
det, cùm non satis habeat vnde alat. Ille ve
here de caret facultatum suarum, in quibus ma
ximè elaborauit. & quidem bona fortuna, a
terius calamitatem efficit, cùm sibi vterq
euenire velit, quo alterum cruciari videt. A
huic mortuus est suauissimus puer, illi verò i
vitâ est filius perditus: vterque sanè commis
ratione dignus: vnus quidem filij mortem, a
ter verò vitam luget. *Et an non mater per
namquamque nascentem prolem *animo scis*
ditur, & præsentibus tristibus nascituræ cur
semper adijcitur? Inde vbi iam filios edidit
aut ad bonam illi frugem euaserunt; & mae
res ex illorum absentiâ dolores iugiter tolera
quàm parturiens tulerat; aut malos euasis
considerat, & maius ex eâ procreatione liber
rum, quàm si permansisset sterilis, opprobrium
sustinet. Sæpè antequam prædicta experiatur
incommoda, vna & sponsa & vidua efficitur;
ac sine liberis in viduitatem delapsa, nec vxor
iam,

Gregor. Nyssen. lib. de Virginit. c. 3.

*Basil de Verâ virginit.

iam, nec virgo, nec mater est. Sic profectò omnibus, quæ putantur læta coniugii semel amissis, breuissimo voluptatis sensu irrecuperabilem virginitatis perdidit florem; coniugijq; tantum solummodò experta est, quantum illi satis esset ad agnoscenda viduitatis incommoda. Quòd si relicta vidua pupillos enutriat filios, eius quem ex viri morte perceperat mœroris, iuge monumentum cernit, & semper in lacrymis, semper in gemitu, semper in sollicitudine educandorum degens, nullum præterito malo solatium inuenit. Præterea & propinquis, & famulis, & filiorum curatoribus, ipsisq; postremò etiam filijs, vbi virilitatis annos attigerint, cunctisq; omnino se vexare volentibus ad prædam miserabiliter exposita, doloris luctusq; tragœdiam, vitam suam omnium ingeret oculis. Transeo breuitatis causâ iliadem aliorum malorum, quæ in hunc statum, velut agmine facto, quotidie incurrunt.

Domine, aiebat Staurophila, *si sic viuitur, & in talibus vita spiritus* eorum qui matrimonio iuncti sunt, profectò *non expedit nubere:* nam Isa. 38, 16. Matth. 19, 10.

Quid est duorum vita longa coniugum
Præter iugum?

Cui Christus: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Beati autem qui *seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Ibid. 11.

Nec imeritò Crvce onustus filiabus Ie-
Luc.23,29 rusalem dixi: *Venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* Verè, respondit Staurophila, terque quaterque beata
Sap.3,13. *felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.*

CAPVT XIV.

Abnegatio sui, optima ad CRVCEM *ferendam præparatio.*

Abneget semetipsum, & tollat CRVCEM suam. *Luc.* 9, 23.

Ingenium geniumq; tuum, te denique totam,
Baiula ritè CRVCIS *si lubet esse, nega.*



ATIS iam superq;, aiebat Christus, sæcularium CRVCES expendimus: & ipsa vtcumque vides, sorores tuas non tam fugisse quàm commutasse CRVCEM, leuem illam & breuem, in grauissimam prorsus & maximè diuturnam; pro quâ, tantum abest vt meritum sperent, quin etiam pœnam incurrant. Iis proinde relictis, reliquum est vt ad CRVCIS susceptionem magis instruaris. Nil gratius, aiebat Stauro-phila, mihi accidere posset: etsi enim animata vtcumque sim, nescio tamen quis horror etiamnum peruadat animum, quem confirmandum & ipsa satis video.

Nec ego, ô filia, aiebat Christus, sine aliquo præambulo in viam CRVCIS te intro-

Abneget ſemetipſũ, et tollat CRVCEM ſuam.



Ingenium genitumque tuum, te denique totam,
Baiula ritè CRVCIS, *ſi lubet eſſe, nega.*

duxi. An non dixi: *Si quis vult post me venire*, ABNEGET SEMETIPSVM, ET TOLLAT CRVCEM SVAM? *Et sermo quidem vnum quid significare videtur, tria verò continet, abnegationem tuiipsius, & vt* CRVCEM *accipias, & tertiò vt me sequaris.* Prima igitur conditio necessaria est suiipsius abnegatio, sine quâ nemo CRVCEM tollet; aut si tulerit, non feret constanter. Et quidem volentibus me sequi, omnia relinquenda denuntiaui, dicens: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed in omnibus istis ne ipsum hominem (attende quæso) excepi, volens eumdem esse relinquentem, & relictum. Quod vt expressiùs insinuarem, dixi, VT ABNEGET SEMETIPSVM. *Et fortasse laboriosum non sit homini, relinquere sua, sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet, valdè multum autem, abnegare quod est.*

Luc.9,23. Chrysost. Hom.56. in Matth.

Luc.14,33.

Gregor. Hom.32. in Euang.

Sed quomodo, aiebat Staurophila, intelligendum, ABNEGET SEMETIPSVM SIBI, *cùm seipsum homo sibi negare non possit, eò quòd conscientia eius non recipiat, vt se aut non esse putet, aut alterũ possit æstimare quàm fuerit? Puto hoc esse negare se, verbi gratiâ, si cui dicatur, Tu es Lucius? & cùm ipse sit, non se esse respondeat. Hoc apud alterum si fortè vale-*

Sixt Papa I. de Cast. tom.5. Biblioth. Pat.

valebit, non tamen apud ſemetipſum. Quomodo ergo ſentiendum eſt, ABNEGET SEMETIPSVM SIBI? aut quomodo ſemetipſum aliquis relinquet? quò ibit extra ſe? vel qui eſt, qui aliquò vadit, & ſe deſerat?

Adhuc modicum, reſpondebat Chriſtus in te lumen eſt, filia; audi & intelliges. *Alii ſunt homines per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi; aliud quod fecerunt, aliud quod facti ſunt. Relinquunt ſemetipſos, quales peccando ſe fecerunt, & manent ipſimet quales per gratiam facti ſunt. Ecce etenim qui ſuperbus fuit, ſi conuerſus humilis factus eſt, ſemetipſum reliquit. Si luxurioſus quiſque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit; ſi auarus quiſque ambire iam deſiit, & largiri didicit propria, qui priùs alienas piebat, proculdubiò ſemetipſum reliquit. Ipſe quidem eſt per naturam, ſed non eſt ipſe per malitiam. Hinc enim ſcriptum eſt: Verte impios, & non erunt. Conuerſi namque impij non erunt: non quia non erunt omnino in eſſentiâ, ſed quia non erunt in impietatis culpâ.* Abnegare ergo ſe, eſt vitare quod per vetuſtatem fuit, & ad hoc niti, quò per nouitatem vocatur. *Eſt*, inquam, *expoliare ſe veterem hominem cum actibus ſuis, & induere nouum.*

Gregor. Hom. 32. in Euang.

Prou. 11, 7.

Coloſſ. 3, 9

Paradoxum hoc, aiebat Staurophila, difficulter, vt video, intelligitur; & pauci fortaſſe

tasse illius sensum assequuntur. Exemplis, aiebat Christus, res erit clarior. *Quemdam adolescentem, fabulæ ferunt, propter amores meretricis peregrè profectum, & abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ: quæ vbi non interpellata mirata, putauit non recognitam, rursusq; occurrens dixit: Ego sum. Respondit ille: Sed ego non sum.* Et expende quomodo se Paulus abnegauerit, qui dicebat: *Viuo autem, iam non ego. Extinctus quippe fuerat ille sæuus persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat, vnde est, quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat? Protinus enim subdit, Viuit verò in me Christus. ac si apertè dicat: Ego quidem à meipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.* Abnegauerat se etiam *frater* ille *in eremo habitans, ad quem cùm carnalis frater auxilij petendi gratiâ aduentasset, respondit vt adiret alterum fratrem eorum, cùm ille vtique obijsset. Cumq; admiratus qui venerat responderet, Quia ille obijt. Eremita se quoque similiter obijsse respondit.* mortuus enim erat mundo & consanguineis, viuebat autem Deo. Et hoc scilicet est quod Apostolus meus omnes hortatur. *Christus*, inquit, *pro omnibus mortuus est,*

Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 10

Gregor. Hom. 32. in Euang.

Gal 2,20.

Bernard. Serm. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph.

2. Cor. 5.

est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed
qui pro ipsis mortuus est. Oportet enim
Gregor. Hom 32. in Euang. numquemque mori sibi, vt viuat Deo. Qui
nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui sup
ipsum est non appropinquat; nec valet appre
hendere quod vltra ipsum est, si nescierit re
ctare quod est. Sic olerum plantæ transponun
tur vt proficiant, atque, vt ita dixerim, erad
cantur vt crescant. Sic rerum semina in terr
admixtione deficiunt, vt in reparatione sui g
neris vberiùs assurgant. Vnde enim videm
perdidisse quod erant, inde accipiunt hoc appa
rere quod non erant.

Vtiliter, aiebat Staurophila, ignoraui, quod
tam luculenter mihi expositum, nunc vel
manu palpo. Sed & planiùs, aiebat Christus
pleniusque hanc ABNEGATIONEM SVI ex-
ponam, quando & libenter differentem au-
scultas, & doctrina hæc prorsus sit necessa-
Chrysost. Hom. 56. in Matth. ria. *Si intelligis quid sit alium abnegare, tum*
rectè percipies, quid sit abnegare teipsum. Qui
alium iam abnegauit, fratrem puta, aut seruu
aut quemuis alium, si cædi eum virgis videat,
si arceri vinculis, aut quidquid aliud mali pa-
ti, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur,
nec prorsus vllo modo mouetur, ceu is qui peni-
tus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo te pa-
cto corpori parcere volo: vt neque si cæditur,
neque si pellitur, neque si vritur, nec si quid

aliud

aliud huiusmodi patitur, ei parcas, sed quasi extraneus quis, aut postis hæc patiatur, sic afficiaris.

Papæ! inquiebat Stauróphila, quid hoc est? Insensibilem prorsus ac mortuum esse oporteat, qui huiusmodi sit. *Ego homo cùm sim, humani nihil à me alienum puto*: nec video vt in meipsam adeò possim esse crudelis, quæ alienis malis magno sensu compatior. Non ego, aiebat Christus, Stoicam insensibilitatem aut crudelitatem suadeo, sed humanos truncari volo affectus, abnegari carnalia desideria, non tribui nimium carni & sanguini. Crimini siquidem apud me obnoxius est parentum amor, si Dei sit contrarius. *Qui* enim *amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* imò & ipsam animam seu vitam odisse oportet propter me. Dilexit Petrus animam suam plus quàm me, cùm eam periculo timeret exponere, & ideò ter me negauit. Si amasset me, procul dubiò abnegasset se. Et, an non ego vnigenitus Virginis Matris meæ abnegaui meipsum, cùm, quasi ad eam minimè pertinerem, ei dixi: *Quid mihi & tibi est mulier?* nec confundere volebam teneram eius verecundiam, sed instruere vos, carnalium curam parentum, & consanguineorum necessitudines, impedire non debere exercitium spirituale.

Terent.

Matth. 10, 37.

Ioan. 2, 4.

rituale. Vnde cùm mihi aliquando dicer-
Matth. 12, 48. tur: *Ecce mater tua, & fratres tui foris sta-*
quærentes te; respondi: *Quæ est mater mea*
& qui sunt fratres mei? non iniuriosè mater-
Beda c. 17. in cap. 3. Marci. *næ refutans obsequium pietatis, nec fratres*
contemnens; *sed paternis mysteriis amplius*
quàm maternis deberi monstrans affectibus, &
opus spirituale carnis præferens cognationi.

Gaudeo planè, aiebat Staurophila, quòd huius abnegationis te, Domine, non tantùm præceptorem habeam, sed & exemplum. Erit sanè mihi hoc nomine & leuior, & gra-tior. Numquid non Abraham, subiicienda Christus, abnegauit semetipsum, cùm pa-trem se oblitus, filium vnigenitum, & tenerè dilectum immolare voluit? An non laudat
Deut. 33, 9 Leuitæ, *qui* dixerunt, *patri suo, & matri suæ,*
Nescio vos; *& fratribus suis, Ignoro vos, &*
Exod. 32, 28. *nescierunt filios suos?* Cùm nimirum zelo inflammati ob adoratum vitulum, nullo per-sonarum respectu, consanguineos quosque
Hieron. Epist. 1. ad Heliod. trucidarunt? *Licet* igitur *sparso crine, & scis-sis vestibus, vbera quibus te nutrierat, matrem ostendat, licet in limine pater iaceat, per cal-catum perge patrem, siccis oculis ad vexillum* CRVCIS *meæ euola, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Si propria hinc attrahat caro, illinc blandiatur sensualitas, illinc mundus & noti inuitent sodales, liberè re-

sponde,

sponde, Nescio vos. Et *si qua* alia *tibi ex parte exterioris hominis cogitatio venerit, respondeas & dicas, Nescio te. Quàm diu mea fui, suggestionibus tuis etiam libens acquieui: nunc me Christus sanguinis sui pretio comparauit; mea non sum, nec meam iam possum facere, sed eius ad quem pertineo, voluntatem.* Sixt. Papa lib. de Castitat.

Ita me facturam, aiebat Staurophila, tuâ gratiâ, confido. Sed satísne iam instructa videor ad CRVCEM baiulandam? Satis, inquiebat Christus, si his probè noueris vti, & ad particularia descendens ea in opus conferas. Et quo pacto, rogabat illa, hoc faciam? Cui Christus: Homo, vti nosti, duabus constat, ijsque diuersissimis partibus, corpore scilicet & animâ. Vtrisque autem sua debetur *Abnegatio*, quam nisi adhibueris, CRVX tibi prorsus erit intolerabilis. Primò autem necesse est, longiùs abigas vicinam illam tuam Dominam, dico *Sensualitatem*, mulierem per omnia mundanam, leuem & carnalem: quæ te quoque ad carnis illecebras & sæculi vanitates allicere studet. Hæc sensuum blandimenta, quibus homo vel maximè inescatur, continuè offert; nam vel visu lepida, vel gustu sapida, vel odoratu fragrantia, vel tactu mollia, aut auditu ingerit iucunda, atque hisce lenociniis quemque ad se pertrahere nititur. Quæ nisi statim refutaueris, exer-

rasti

rasti à CRVCIS semitâ ; in viam peccatorum rediſti. Seductrix illa (vt ſolita) oſtendet tibi adoleſcentularum mundi huius delicias & honores, quibus ſecundùm deſideria ſua perfruũtur. Niſi autem auerteris oculos tuos ne videant vanitatem, citò abiecta CRVCE incipies vagari poſt greges ſodalium tuarum. Suggeret deinde ſcandalum CRVCIS, & ſi liarum Babylonis ſubſannationes: tu vero obtura aures tuas ad voces Sirenarum, atque
Pſ. 37, 25. eſto *ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutionem.* Amaram & inſipidam CRVCEM, tactuque inſuauem exprobrabit: tu autem, ô filia, propter verba labiorum meorum perge cuſtodire vias duras: reſpue obiectamenta ſenſus, & amplectere
Sap. 13, 1. aſperitatem CRVCIS. *Vani* enim *ſunt ſenſu hominum, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Monitis his, aiebat Staurophila, cautior ero, vt ſubdolam hanc mulierem, quæ honeſta mihi quidem videbatur, omnibus modis vitem. Bonum id, aiebat Chriſtus, ſed non ſatis; reſtat enim, vt interiorem quoq; hominem mortifices. In eo autem abneganda memoria, intellectus & voluntas. Memoria inſtar pugillarium, inaniũ, ſuperfluarũ & indecentium rerum ſimilitudines retinet coacéruatas: hæ autem intellectum ad ſui conſiderationem, voluntatem ſollicitant ad amorem.

Pro-

Protere igitur tabellas has, quæ sæcularis felicitatis spectacula repræsentant. Si enim recordata fueris mundanæ prosperitatis, non diu in CRVCIS perseuerabis VIA. Lumen quoque interiorum oculorum, intellectum dico, & vagæ imaginationis perspicilia, in obsequium sanctæ CRVCIS calca, neu tuo vti velis iudicio, aut *sapientiâ carnis*, quæ *inimica est Deo*, & in multos te inducet errores. Callida imaginatio longè maiorem & grauiorem repræsentabit CRVCEM, quàm reuerà sit, itaque semper querula, semper eris impatiens. Intellectus suggeret, non impositam, sed aliam quamuis meliùs tibi conuenire CRVCEM. Tu verò vtrumque abnegans, *omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tuâ patientiam habe*. Denique *& à voluntate tuâ auertere*. Ipsa enim desideriis suis, amore, dolore, gaudio, irâ, variè abducta, iugum CRVCIS tentat excutere. Abnega ergo, ad exemplum meum, voluntatem tuam, vt in omnibus id tibi sit in ore, id in corde: *Non mea, sed tua* Domine *voluntas fiat. Hæc* sedulò *meditare, & in his esto.*

Rom. 8, 7.

Eccli. 2, 4.

Eccli. 18, 30.

Luc. 22, 42. 1. Timoth. 4, 15.

CAPVT XV.

Baiulandi CRVCEM *Christus se formam exhibuit.*



AVDITIS hiſce, abitum parabat Staurophila, atque Gratias, inquit, ago tibi Domine IESV quia docuiſti ancillam tuam VIAM ſalutis: tempus nunc est vt reuertar ad patrem, quò iam præceſſerint ſorores, & vereor, querimonias depoſuerint non leues: &, ſi parentem noui, ægrè tulerit moram hanc meam, & quòd germanas comitata non fuerim. Id verò, ſi acciderit, aiebat Chriſtus, habebis profectò vnde VIAM CRVCIS auſpiceris: & parum, mihi credet idonea CRVCIS gerula eris, ſi paterna non feras verba. Interim vade in pace, & ſi VIAM CRVCIS non tam diſcere quàm perambulare deſideras, fac paucos intra dies hîc denuò te ſiſtas, vt CRVCEM tollas, & me ſequaris.

Dabo, inquiebat illa, operam: ſed vnum hoc doceri velim, quid intereà temporis mihi faciendum, quibúſve exercitiis animus ad CRVCEM præparandus. Reſpondit Chriſtus: Cùm portam ciuitatis ingreſſa fueris, occurret tibi monaſterium Cruciferorum, ac-

accede illuc, & euocato Priore, pete meditationes, quas sibi præparauit, & legendis ac ruminandis his tempus impendes. Fecit illa, vt iussa erat, & impetratis piis commentationibus, læta domum reuersa est, quotidie se non indiligenter his scriptis occupans.

Sensim tamen subrepsit ei torpor quidam, & negligentia. Hinc ex aridâ dumtaxat consuetudine, & perfunctoriè commentabatur, iamque in dies minùs erga CRVCEM afficiebatur. Assiduitas enim eadem cogitandi nonnihil fastidij excitarat. Vltimis proinde diebus ex toto intermittebat has exercitationes, & quæ hactenus à Christo audierat, è memoriâ excidere non prorsus inuita patiebatur.



ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

HVc vitæ cupidus beatioris,
Qui dulcissima te vocantis vsque
Pronâ suscipis aure verba Christi,
Iamque te CRVCIS exhibere sanctæ
Gnauum discipulumque baiulumque
Gestis, huc agedum paratus adsis:
CAP. I. Moras abijce, moxque te vocanti
Festino pede promptus obsecunda.
II. CRVCEM quam dederit Redemptor, illam
Lætus excipe, ceu monile gratum:
Nefas eligere hanc foret, vel illam:
III. Nefas & per humum velut profanæ
Stipitem trahere arboris. Proinde
Obuijs manibusque, brachijsque,
Et collo ac humeris amoris, illud
Lubens nobile baiulato pignus.
Nec quidquam remorentur improborum
Te ludibria, scommatúmve plaustra.
Pro Christo decus est tulisse probrum.

Si forsan populus frequentiori iv.
Famâ te vehat, audiasque passim
Sanctus & pius : hem caue barathrum ;
Hîc anguis latet : has velut venenum
Voces neglige (si sapis) dolosas :
Et constantior vsque & vsque perge,
Per vestigia trita perge Christi, v.
Quem ceu prototypon sequare ad vnguem. vi.
Nec CRVCIS *grauiús ve longiús ve,* vii.
Impostum tenero querare pondus :
Singulis tolerare quod diebus, viii.
Nullo ponere quod decet dierum.
Rursum sed moneo (puta necesse) ix.
Caue respicias inanioris
Fumum gloriolæ, leuesque plausus.
Quò spectes sed enim docebo paucis : x.
Prima intentio noxias piare,
Et vitare focos docet perennes ;
Spectat altera gloriam perennem : xi.
Vni tertia se probare Christo, xii.
Dilecto studet vnicè placere.
Sed CRVX *dum cruciatque deprimitque,* xiii.
Queris, quid facias. Precare : fiet
Verorum seges ampla gaudiorum ; xiv.

xv.&xvi. *Pro quâ mille voles referre grates;*
xvii. *Et summam tibi gloriam putabis*
Quæ summæ tibi gloriæ sit auctrix.
Nec CRVCIS *satis est tulisse pondus*
Ferentem nisi CRVX *ferat vicissim.*
xviii. *Hinc carnem crucifigier rebellem*
xix. *Et mundum decet, & decet teipsum*
xx. *Annecti in* CRVCE, *Christiane, Christo,*
Mortem quod tribuat suauiorem,
Vitam quod faciat beatiorem.

RE

REGIÆ VIAE CRVCIS.

LIBER SECVNDVS.

De optimâ CRVCEM *ferendi methodo.*

CAPVT PRIMVM.

CRVX *absque dilatione statim tollenda.*



CONDICTVM aduenerat tempus, quo Staurophila amabile CRVCIS onus, & iter erat susceptura salutare. Verùm, quæ humanæ mentis instabilitas, non parum reformidabat & illius pondus, & huius spatia longiora; vt pænè iam fidem fallere, & exspectantem in Sacello IESVM non reuisere decerneret. Sic nimirum quod volunt homines, non diu volunt; & quæ calidè primùm concipiunt vota, vix languidè tandem, ac ne vix quidem exsequuntur. *Spiritus* scilicet *promptus est, caro autem infirma:* Matth. 26. 41.

quantumque ille salutaria concupiscit, ta
tum hæc refugit. Nobile hoc in gene
exemplum dedit Apostolorum princeps, q
in abundantiâ cordis sui liberaliter adm
Luc.22,33. dum dicebat: *Tecum paratus sum & in car*
Marc.14, 29. *rem, & in mortem ire. Et, si omnes scandaliz*
ti fuerint, sed non ego. At idem ille post m
Matth.26, 74. multas horas, ad vnius ancillulæ vocem
pit iurare, quia non nouisset hominem.

Talis & nostra ferè Staurophila: dum su
uissimè cum IESV conferret, cùm verba v
tæ æternæ audiret, anhelabat & suspira
ad CRVCEM; nihilque illi dulcius videbatu
quàm passionibus Christi per patientia
communicare. Vt verò Cosmopolitanis in
rùm mixta filiabus, dulce venenum, & infa
nias hausit falsas, lentè omnino, & somn
lentè de VIA CRVCIS cogitabat, & tantùm
non pœnitebat promissi. Vrgebatur interi
huius religione, nec quietem à conscienti
carnificinâ sperabat, nisi ex præscripto se
steret. Ibat ergo lugens & tristis, siue quò
amatas desereret adolescentulas, siue quò
arctam nimiùm horreret semitam. In ips
tamen itinere altùm ingemiscens, Domin
subinde se commendabat: nec deerant in
terlucentes quidam diuini fauoris radij, ani
mam eius cælesti luce per interualla collu
strantes.

Ven-

Ventum tandem ad locum, & vix dum oculis huc illuc circumspexerat, cùm ecce præsens adest, cum quo pridem instituerat colloquium, Christus Dominus: qui nouum exorsus sermonem, Eia, inquit, Staurophila, quàm factum benè, quòd ciues Babylonis deserueris! quòd promissis steteris, & abruptis blandis illis retinaculis, ad vexillũ CRVCIS intrepida euolaris! Noui laqueos & pedicas gressibus tuis tensas: sed vt euaderes, gratia mea fecit. Nunc ecce tempus faciendi, tempus acceptabile, occasio salutis. Nunc, inquam, tempus ferendi CRVCEM, & sequendi me. Quisquis enim in regno cælorum voluerit *Agnum sequi quocumque ierit*, is nunc sublatâ CRVCE venire debet post me, & præeuntis sequi vestigia. Apoc. 14. 4

Non multùm hæc mouebant Staurophilam; quæ timore adeò consternata erat, vt ad solam CRVCIS mentionem pænè trepidaret. Quare vt in bello, qui se viribus inferiores agnoscunt, ad inducias confugere solent; non secùs illa, cùm declinare CRVCEM omnino non posset, dilationem petijt. Et hoc saltem, inquiebat, te Domine rogo, liceat mihi aliquanto adhuc tempore mundo & ætate frui, nec tam citò mœstissimum hoc iter auspicari. Adolescentula sum ego, viribus tenera, animò imbecillis: cum annis

creſcet robur, ac tum maturè ſatis CRVCI iugum excipiam. Equidem non detrecto illud, ſed liceat, quæſo, pace tuâ, aliquantulum differre.

Iraſcenti ſimilis Chriſtus, Quid hoc demum, inquiebat, Staurophila? miror quod tam citò reliqueris VIAM bonam, VIAM ſalutis, quam oſtendi tibi. *O inſenſata filia, quæ te fascinauit non obedire* verbo *veritati*, quod audiſti ex ore meo? Cur coruinam vocem ſurpas vocem, & periculosâ procraſtinatione opus ſalutis in poſterum reijcis? An non dicit Scriptura, *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius?* Æquúmne tibi videtur, vt mundo *ætatis florem, Deo ſenectutem*; mundo *voluptates, Deo corpus effætum* reſerues? *Quid poteſt habere laudis, ſi corpus voluptatibus, & iam ſenectutis gelu frigidum ad ſera deuotionis officia, depoſito iam ſegnior vigore, conuertas? Non eſt corona, niſi, vbi fuerit difficilioris lucta certaminis, ad quam rari contingere poſſunt, nec omnes qui ingreſſi fuerint ſtadium, peruenire.* Et an *non pudet te primitias vitæ tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti* (ac tollendæ CRVCI) *deſtinare, quod in nullam rem conferri poßit? Quàm ſerum eſt, tunc viuere incipere, cùm deſinendum eſt!*

Gal. 3, 1.

Eccli. 5, 8.

Nazianz. Orat. in S. Baptiſm.

Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. 19.

Seneca l. de Breuitate vitæ.

Parce

Parce Domine, aiebat Staurophila, & ignoſce deprecationi meæ: neque enim in extremam ſenectam CRVCIS iter differre, mens erat, ſed in aliquot tantùm annos. At enim, reſpondebat Chriſtus, quis eos tibi promiſit? An non *breues dies hominis ſunt?* Neſcit reuerà, *neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit.* Si ſciret quiſque quo tempore de præſenti ſæculo ſibi eſſet exeundum, aliud quidem voluptatibus, atque aliud tempus CRVCI ac pœnitentiæ aptare potuiſſet: ſed qui crucigero cælum, pœnitenti veniam ſpopondit, is negligenti ac tergiuerſanti craſtinum non promiſit. *Incertum eſt, quo te loco mors exſpectet, itaque tu illam omni loco exſpecta.*

Iob. 14, 5.

Eccli. 9, 12.

Seneca Epiſt. 26.

Verùm, replicabat Staurophila, adoleſcentior, vt dicebam, etiamnum ſum; ætatem magis vegetam expectari tantùm velim. Ad hæc Chriſtus: Omnis Deo matura eſt ætas, magis autem prima, & primæ proxima. *Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ Non ſolùm enim tollere iugum Domini, ſed in iuuentute oportet tollere. Si enim ſerò tollas, incipies pœnitentiam ſuperiorum magis habere, quàm tenere gratiam. An non præſtat dicere, Deus qui paſcis me à iuuentute meâ,*

Thren. 3, 27.

Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 2.

Gen. 48, 15.

Psal. 24,7. *meâ, quàm recordatione lapsuum dicere, Del*
cta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne me
mineris? hoc debilitatis est remedium, illu
robur salutis. Ei autem qui post decursæ iu
uentutis annos iugum tulerit, non est statu
perfectum bonum. Stimulant enim eum pecca
ta sua, exagitat conscientiam consuetudo pe
candi, & vsus erroris instabilem facit. Luctan
dum est diu huiusmodi, vt abolere faciat inue
Auguſt.l.8. *terata atque diuturna. Plus* enim in his tal-
Conf.c.11. bus *valet deterius inolitum, quàm melius in*
solitum.

Sed quid est quòd ætatem incusas, soro
bus tuis prouectior, & plenis iam nubilis an
nis? Adolescentulam tamen te dicis. Esto sa
nè: atq; vtinam vna tu esses ex illarum gre
Cant.1,2. ge, de quibus scriptum: *Adolescentulæ dile*
xerunt te Deus! vtinam non verbo tantùm
sed opere & veritate diligeres me! non ita
CRVCIS consortium refugeres. Et quod a
mantis potissimum votum? nónne amato
Ps.37,16. quà licet, assimilari? Ego autem *pauper sum*
& in laboribus à iuuentute meâ. Et quid aliud
deceat te, quàm æmulari formam illam,
quam assumpsi propter te? Quot pueri &
puellæ, quot iuuenes & virgines rigidissimi
viuendi genus, & CRVCES & corporis affli-
ctationes ab ipsâ pænè infantiâ sponte sum
amplexi? Quot martyrio coronati, qui præ-
iudi-

iudicium vehebant ætatis? & tu non poteris quod isti & istæ?

Erubescebat ad hæc Staurophila, & accendebatur nonnihil imitandi desiderio. Atque vtinam Domine, aiebat, gratia tua me quoque præueniat & sequatur, vt digna efficiar societate iuuencularum tympanistriarum, quæ *carnem suam* crucifigentes *cum vitijs & concupiscentijs, mortificauerunt membra* sua, *quæ sunt super terram*! Bonum hoc votum, aiebat Christus, sed opere ipso opus est, non nudis verbis. Sed vt hanc voluntatem confirmem, scito longè tibi fore vtilius, in hac ætate CRVCEM suscipere, quàm in secuturam & incertam differre. Nil fertur facilius, quàm quod à teneris vnguiculis ferre didiceris: difficile autem est (vt dici solet) senem canem assuescere loris, & inueteratum dierum docere pœnitentiam. Gal. 5,24. Colos. 3,5.

Cælesti id visione aliquando declaratum, quam ad tuam qualemcumque consolationem subtexere non grauabor. Ferunt enim *Religiosum quemdam vitâ functum apparuisse de nocte Fratri socioq; suo, magno splendore collucentem. Cumq; eum ex cellâ eduxisset, ostendisse magnum numerum hominum candidâ veste, mirabiliq; luce micantium, qui pulcherrimas* CRVCES *humeris deferebant: erat autem omnium* ITER *in cælum. Posteà modico* Hieron. Platus l. 3. de Bono status Religio. c. 33.

inter-

interuallo, alius sequebatur ordo, isq; multo pulchrior, multoq; lucidior, quorum vnusquisque ornatissimam CRVCEM, *non iam humeris sed manibus gestaret. Deinde tertius ordo, omnium longè splendidissimus, & speciosissimus, quorum item* CRVCES *formâ & pulchritudine reliquorum* CRVCES *superabant, neque eas ipsi portabant, sed suus, qui singulos præibat, Angelus, vt ij alacres & ludibundi sequerentur. Quòd spectaculum cùm ille miraretur, exposuit socius, primos illos esse, qui prouectâ iam ætate* Religiosæ vitæ CRVCEM *amplexi fuissent, secundos, qui in virili, postremos autem, quos adeò expeditos hilaresq; vidisset, eos esse, qui in adolescentiâ* se CRVCI subdidissent. Ecquid nunc animi tibi est, Staurophila? Iam, inquiebat illa, volupe fuerit in postremis istis non esse postremam, & reijcio prorsus, quas anteà requirebam, moras, procrastinationem omnem detestor. Nunc, Domine, nunc, te auspice, incipiam, *hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Ps. 76, 11.

CA-

CAPVT II.

Sua cuique ferenda CRVX, *nulla eligenda.*

Tollat CRVCEM suam. *Matth.*16,24.

Non tua, sponte tuâ, CRVX *est, quam deligis, ast hæc,*
Dius ab æterno quam tibi struxit amor.



ANIMATAM hoc pacto Staurophilam Christus in eum eduxit locum, vbi plures variæque CRVCES per terram sparsæ iacebant. Illa verò iam accincta, & generosior videri gestiens, exiguam quamdam è pluribus præripere festinabat. Lepidè igitur, & quasi re benè gestâ ita cantillabat.

Magna ferant, magnum quibus est in corpore robur,
Parua erit hæc humeris CRVX *satis apta meis.*

Cùm Christus: Quid hoc, ô Staurophila? in ipso rursus offendis limine. Num tam citò exciderunt, quæ pridem audisti? Quomodo? reponebat illa. An non, Domine, hoc CRVCEM tollere? Est, inquiebat Christus, sed non vt docui. Neque enim vtcumque dixi TOLLAT CRVCEM; sed notanter addidi

SVAM.

Tollat CRVCEM ſuam. *Matth. 16, 24.*



Non tua, ſponte tuâ, CRVX eſt, quam deligis; aſt hæc
Dius ab æterno quam tibi ſtruxit amor.

SVAM. Et quæ, inquiebat illa, mea CRVX? nónne hæc, quam è multis selegi? Nequaquam, aiebat Christus, non enim conceditur hîc vt pro voto quisque eligat, sed CRVCEM expectare oportet de manu Dei. Erraui, vt video, inquiebat Staurophila; nam ita mecum ratiocinabar: Ex malis eligendum minus, adeoque, si ferenda omnino CRVX, exiguam sufficere. Non leuis, inquiebat Christus, hic error; CRVCEM siquidem in malis numerare, malum est. Hæc enim carnalium & mundanorum hæresis quædam est, qui corporis sensibus, cuiusque rei bonitatem metiuntur. Verùm ratione & fide te niti volo; quas si adhibueris, CRVCES malas non affirmabis. Remoue enim opinionum istud velum, & oculos ad afflictionum ortum refer, ac finem. Videbis sanè illum, à bono; hunc, in bonum. *Origo certè* CRVCIS, & cuiusuis afflictionis, *à Deo: id est, non ab ipso summo bono solùm, sed bonorum omnium auctore, capite, fonte. A quo non magis est vt malum aliquod emanet, quàm vt malus sit ipse. Benefica tantùm & salutaris illa vis: quæ lædere æquè spernit, ac lædi: & cui vna summáq; potentia est, prodesse.*

Lipsius l. 2. de Const. cap. 6.

Fine quoque, vt dixi, CRVX bona; quia ad bonum directa semper, & salutem: imò recta & certa ad hanc via. Quî

igitur malum sit, à quo summum homi
bonum?

Sed age, fidei lucernam hîc accendam
vt omnis dispelhatur caligo. Credisne, Sta
rophila, me verum Dei Filium, verè & re
liter in augustissimo Eucharistiæ Sacrame
to contineri? Scio equidem, quòd credas
sed dic mihi modò, cur id adeò firmiter te
neas. Respondit illa: Quia tu, ô æterna Ve
ritas, id nobis reuelasti, & sacratissimo tu
Matth. 26, 26. ore dixisti: *Hoc est Corpus meum.* Cur ergo
inquiebat Christus, afflictiones & CRVCE
non sentias bonas, cùm idem ipse dixerit
Matth. 5, 3 *Beati pauperes spiritu: Beati qui lugent: Be
ti qui persecutionem patiuntur propter iusti
tiam?*

Tacebat ad hæc Staurophila, siue quòd
consentiret, siue quòd nihil occurreret quod
posset opponere. Cùm rursum Christus: Vi
den' quid tam hinc consequatur? Quid? in
quiebat illa. Nimirum, si bonæ CRVCES, di
cebat Christus, non aspernandas illas, sed
magis optandas: & ex bonis non eligen
dum minimum, sed maximum. Video qui
dem, referebat Staurophila, id sequi; sed quis
est, qui id possit? Vt faceres, inquiebat Chri
Bernard. Serm. 3. de Natiuit. stus, præiui exemplo. *Nasciturus* enim cùm
essem *eiusdem cuius nunc sapientiæ & potes
tis, vtpote Dei virtus, & Dei Sapientia, esset*

in meo arbitrio quodcumque vellem eligere tempus, elegi quod molestius est, præsertim paruulo, & pauperis matris filio. Meus erat Ps.49,10.
orbis terræ, & plenitudo eius, & tamen *elegi stabulum: cælum mihi sedes erat, & terra scabellum pedum meorum*, & pro regali throno, Isa.66,1.
elegi præsepis angustiàs. Iam verò quid de me prædictum? nónne quòd *scirem reprobare malum, & eligere bonum? Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc elegi, & illam puer sapiens, Verbum infans reprobaui.* Isai.7,15.

Optimum, respõdebat Staurophila, exemplum: sed quotusquisque est, Domine, qui per hanc viam te sequatur? Ecquis erit qui contemptis huius vitæ commodis, aduersa præ illis eligat? Nescis, respondebat Christus, quot habuerim habeamq́; veros CRVCIS amatores. Non incidit tibi quid de sancto Francisco litteris proditum sit? *Laborabat* hic *infirmitatibus multimodis tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore: ad hoc tandem per varias & diuturnas, ægritudines deductus est, vt consumptis iam carnibus quasi sola cutis ossibus hæreret. Cumq́; duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias, non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Cùm autem grauiùs solitò dolorum vrgeretur aculeis,* Bonauent. in Vitâ c.14.

leis, quidam Frater simplex dixit ad eum: Fr
ter, ora Dominum, vt mitiùs tecum agat: n
num enim suam plus debito super te grau
videtur. Quo audito, vir sanctus cum eiul
exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplic
puritatem, tuum ex nunc abhorrerem cons
tium, qui ausus fueris circa me diuina iud
reprehensibilia iudicare. Et licet totus esset
tritus grauis prolixitate languoris, proiect
se in terram, ossa debilia duro casu collidebat
deosculans humum, Gratias, inquit, tibi
Domine Deus, de omnibus his doloribus me
teq; mi Domine rogo, vt centuplum, si tibi p
Iob. 6, 10. cuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissim
vt affligens me dolore, non parcas, cùm tu
sanctæ voluntatis adimpletio, sit mihi cons
latio superplena.

Quid verò de generoso hoc animo ce
ses, Staurophila? Num ille minimâ conte
tus CRVCE? Nec solus in hac mente fuit
fuit & cognominis illi Xauerius; qui
abundantiâ diuinarum consolationum e
clamare solebat: *Satis est Domine, satis est.* I
CRVCIBVS, laboribus & persecutionibus d
Acta canonizat. cebat: *Amplius Domine, amplius. Non m
liberes hac* CRVCE, *nisi grauiorem immittas.*

Sed ne quidquam desit, proponam tib
sexûs tui exemplum prorsus memorabile.
Sponsa mea Catharina Senensis *adeò affli-*

ctionibus

ctionibus delectabatur, nihil vt in hac vitâ tantum ei solatij adferret, quantum CRVCES; *sine quibus, vt ipsa aiebat, vita hæc ei fuisset molestissima: propter eas autem perlibenter tulisset beatitudinis dilationem, non ignorans, illam afflictionibus non parum augeri.* Appetita autem graui calumniâ, cùm eam multis lacrymis ad me referret, apparui *ei, habens in dexterâ coronam auream miri decoris, in sinistrâ spineam, dixiq; ei, vt eligeret, vtram mallet. At illa, Ego, inquit, Domine, cupio in hac vitâ tuæ passioni semper conformari, & pœnas amplecti pro refrigerio: simulq; è sinistrâ spineam coronam feruenter arripiens, illam vi multâ impressit capiti, illud vndique spinis compungens.* Surius in Vitâ.

Quid iam tibi videtur? num omnes CRVCEM abhorrent? num minimam requirunt? aut si possent, vt tui similes, nullam? Verùm hi omnes perfecti & sancti fuerunt, inquiebat Staurophila, ego autem peccatrix sum, & admodum tenera. Sed enim, regerebat Christus, quid obest quò minùs & perfecta & sancta fias? nec aliis caro ænea fuit, sed erant homines passibiles, similes tibi. Verùm non id modò ago, vt ad tam excelsa te vrgeam; tantùm ne ipsa tuo arbitratu CRVCEM tibi deligas, dicens cum imperfectis: Hoc & istud facilè admisero, sed quæ mihi modò

imponitur CRVX nimis ea grauis est, quæ
Thom. à Kemp. l. 3. cap. 19. vt ferre queam. *Non est*, crede mihi, ver*patiens, qui pati non vult, nisi quantum* [illegible] *visum fuerit, & à quo sibi placuerit. Verus* [illegible] *tiens indifferenter ab omni creaturâ, quantu*[illegible] *cumque, & quotiescumque ei aliquid adue*[illegible] *acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter* [illegible] *cipit, & ingens lucrum reputat.* Si teipsam [illegible] edocta es, abnegasti, si intellectum & volu[illegible] tatem ex integro mihi resignasti, quid e[illegible] quòd nunc, velut oblita priorum, iterùm [illegible] in consilium adhibeas? An non ego, æter[illegible] Sapientia, ita ordino vniuersa, vt quidqu[illegible] acciderit, id tibi certè bonum atque vtile [illegible] Domine, aiebat Staurophila, nimis insipie[illegible] ter egi, propriâ innitens sapientiâ: & fate[illegible] ex prudentiâ carnis processit hæc elect[illegible] quæ fortè periculo non vacat. Ita est, inqua[illegible]
Bernard. in Apolog. ad Guiliel. Abbat. Apoc. 14, 2. bat Christus, *Væ enim portantibus* CRVCE[illegible] *non* SVAM, *sed alienam! væ citharœdis citha*[illegible] *rizantibus, non vt illi de Apocalypsi, in citha*[illegible] SVIS, *sed in alienis.* Aliena enim censeri de[illegible] bet CRVX, quam propriâ quis elegerit spon[illegible] te; propria autem, quæ à Patre meo vnicu[illegible] que destinata & imposita fuerit, cuiuscum[illegible]
Blos. in Monil. cap. 10. que tandem ad hoc manibus vtatur. *Cùm virgo Gertrudis commiseratione mota, ora*[illegible] *pro quadam personâ, quam audierat impatien*[illegible] *ter conquerentem, quòd Deus ei grauamina*[illegible]

im-

immitteret ſaluti ſuæ minùs conuenientia; reſpondit ei Dominus: Dices illi pro quâ oras, vt quia ſine aliquâ ſaltem tribulatione vel moleſtiâ regnum cæleſte obtineri non poteſt, eligat atque indicet quænam grauamina ſibi vtilia eſſe putat: & cùm hæc ipſi euenerint, ſeruet patientiam. In quibus verbis Gertrudis intellexit, periculoſiſſimum genus impatientiæ eſſe, quando homo peruersè ac ſuperbè eligere vult quæ ferat, dicens ſaluti ſuæ minùs congruere, ſeq; non poſſe ſuſtinere ea grauamina, quæ ſibi à Deo immittuntur. En quantum in electione CRVCIS periculùm: tu verò iam admonita, illud ſeriò vitabis.

Exeamus ad eum extra castra, improp
rium eius portantes. *Hebr.* 13, 13.



Hanc CRVCIS *ipse viam, populo plaudente, præm*
Et pudor est Domini ponè subire pedes.

CAPVT III.

Non trahenda, sed ferenda CRVX; *spernenda quoque, quæ ob illam ingeruntur opprobria.*

Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes. *Heb.* 13, 13.

Hanc CRVCIS *ipse viam, populo plaudente, præiui,*
Et pudor est Domini ponè subire pedes?

HIS auditis animaduertebat Staurophila, vix posse se destinatæ CRVCIS iugum detrectare. Proinde veluti conuicta, accinxit se ad tollendam quam Christus monstrauerat CRVCEM. Sed vt restitat semper refuga tristium natura, callidè meditabatur tam parum oneri se submittere, quàm posset. Quid igitur fecit? iniecto fune non tam tollere, quàm per terram trahere post se CRVCEM cœpit. Et quia videbat fore vt aliorum oculis notaretur, & subindè etiam sannis exciperetur, faciem velo cooperuit; erubescens nimirum opprobrium CRVCIS. Videbat hæc Christus, &

primùm quidem dissimulare visus, moxeam ita redarguere occœpit.

Et quid hoc, Staurophila? Anne sic CRVCEM te ferre arbitraris, quâ velut rem ignominiosissimam, ne contactu quidem dignaris? Recordare, obsecro, quòd non dixerim, *Qui vult post me venire*, trahat vel ducat, sed [a] *tollat*, [b] *baiulet*, & [c] *accipiat* CRVCEM *suam, & sequatur me.* Quâ loquendi formâ quid aliud innuere volui, nisi CRVCEM, vbicumque illa inuenta fuerit, vt pretiosum pignus, è terrâ subleuandam, & in humeros accipiendam? non secùs ac matres charissimas proles magno gaudio brachiis impositas gerunt.

a Matth. 16,24. Marc.8,34 Luc.9,23.
b Luc.14, 27.
c Matth. 10,38.

Non facilè inueniebat Staurophila quid ad hæc responderet, sed tepidâ tantùm ac trepidâ voce aiebat, se nimio horrore ad CRVCIS onus expauisse, & solo aspectu adeò territam, vt subleuare nõ auderet. Cui Christus: Immodica hæc formido non è CRVCIS mole, sed Cruciferæ prouenit opinione. Non enim malum est, malum pati; at nescire malum pati, hoc demum malum est. *Quantò melius ad patiendum te disponis, tantò sapientiùs agis, & amplius promereris.* Sed quis hoc poterit? inquiebat Staurophila. Nemo non, inquiebat Christus, qui non in se, sed in Deo confidit. Fateor equidem *non*

A Kemp. lib. 3 de Imit. Christi, cap. 19.

est

est secundùm hominem CRVCEM *portare,* Idem l. 2. cap. 12.
CRVCEM *amare, corpus castigare; honores fugere, seipsum despicere, & despici optare, & nihil prosperitatis in hoc munao desiderare. Si ad teipsam respicis, nihil huiusmodi ex te poteris; sed si in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo.*

Sperare quidem hoc possum, inquiebat Staurophila, cùm magna sit miserentis Dei benignitas; sed abstrahit me, vt verum fatear, tam arduæ CRVCIS horror. Cui Christus: Virgam olim Moyses in colubrum ver- Exod. 4, 3.
sam vsque adeò exhorruit, vt planè fugeret. Verùm cùm iussu Dei manum extenderet, apprehenderetque caudam eius, versa est in virgam, quam solito tulit more; eaque populum è miserrimâ seruitute per mare rubrum traduxit. CRVX & tribulatio virga est, quam si in terram proiicias, nihil aliud quàm colubrum existimabis, à quo morsum mortemque reformidans, fugam capesses. At si è terrâ sustuleris, manuque veritatis per caudam apprehenderis (optatissimum scilicet tribulationum respiciens finem) iam CRVCEM virgam Moysis facilè experiêre, quæ à peccati seruitute in cælestem te ducat Ierusalem. Respice ergo cælum, quò CRVX ducit, respice æternam beatitudinem CRVCI repromissam. Qui fluuij vada pertranseunt,

oculos

oculos ad cælum, vel littus attollere monea-
tur, ne aquarum fluxu turbati corruant. Tri-
bulationum pelagus transmittere omnes
oportet, ne autem mirabiles elationes mar-
cerebrum nimiùm obturbent, sursum feren-
2. Corinth. da corda, cælum intuendum, non *contem-*
4,18. *planda quæ videntur; sed quæ non videntur:*
quæ videntur enim temporalia sunt, quæ non
videntur, æterna.

Et quid est, quæso, quòd digito vix vno CRVCEM trahas? Si vnum tantùm alterúm-ve hominis membrum æternâ afficiendum esset beatitudine, sufficeret fortè vnâ manu aut digito CRVCEM tulisse: sed cùm totum hominem saluum fecerim, totum perenni-
Psal. 85,2. gloriâ, in quâ *cor & caro exultabunt in Deum viuum*, remunerare statuerim, quidni totus CRVCE affligatur, totus CRVCE oneretur? Neque verò nescis, Staurophila, me totum id quod pro hominibus assumpsi, totum hominibus redimendis impendisse. Vt quid igitur patiar tam parcè mihi seruiri, quasi satis foret; qualitercumque CRVCEM post se trahere? Aliter sanè amor & labor meus videtur compensandus. Strictum hîc tenebat Staurophila silentium, nec hiscere contrà audebat.

Christus verò alium non leuem castigans errorem, ita rursum infit: Cur, quæso, adduxisti

xisti velum super faciem tuam? an Crucigeram videri ignominiosum ducis? Ita sanè, inquiebat Staurophila, *operuit confusio faciem meam*, ecce enim facta sum *opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Nec est vt multis exponam: etenim *tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam.* Cui Christus: Eia, inquit, ad me oculos conuerte. Nónne ego, gloriâ & honore coronatus, *proposito* mihi *gaudio sustinui* CRVCEM, *confusione contemptâ?* An non propter te sustinui opprobrium? propter te quoque factus *sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis?* Certè cùm educerent me extra portas ciuitatis sanctæ baiulantem mihi CRVCEM, *omnes videntes me, deriserunt me, *subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.* Et tu nunc modicam infamiam CRVCIS reformidas, quasi vile & infame foret participium CRVCIS meæ: cùm veri mei discipuli hoc ipsum sibi duxerint glorioſum. Quare non dubitauit Apostolus Paulus ita exhortari: *Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes.*

Psal. 68, 8. Psal. 78, 4. Psal. 68, 20. Hebr. 12, 2. Psal. 21, 7. Psal. 21, 8. *Psal. 34, 16. Hebr. 13, 13.

Respondit verò Staurophila: Ferrem equidem non illibenter, mi Domine, tecum & pro te CRVCES & ignominias, vt multi Martyres

tyres fecerunt, sed illud pessimè me habet quòd velut publica peccatrix censear, quasi delictis meis CRVCEM hanc commerita fuerim. Proinde etiam atque etiam rogo te,

Psal.42, 1. *Iudica me Deus, & discerne causam meam de*
Psal.118, 121. *gente non sanctâ*, neq; *tradas me calumniantibus me*.

Cui Christus: Quid tum? Nónne & ego
Rom.8,3. qui peccatum non feci, veni *in similitudinem carnis peccati?* nónne *cum iniquis reputatus*
Marc.15, 28. Luc.23, 32 *tus* sum? An non cum duobus latronibus eductus, medius inter eos crucifixus sum?
Isai.53,6. Nónne *in* me Pater *posuit iniquitates omnium* vestrûm, & existimatus sum *tamquam percussus à Deo?* Et tu nunc, quasi iustitiam feceris, exhorrescis inter peccatores numerari.
Ierem.3,1. An ignoras quod *fornicata sis cum amatoribus multis?* quòd fregeris iugum, & abieris
Iob 15,16. vaga in viam cordis tui, ita vt *velut aquam biberes iniquitatem?* Et nunc velut innocens conquereris te nonnihil ludibrio haberi, cùm
2.Corinth. 6,8. iam pridem edocta fueris me sequi *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Si me attendis, videbis sanè quòd

Augustin. Serm.20. de Verb. Apost. *vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita. Si ergo vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere; ideò enim in fronte, tamquam in sede pudoris, signum* CRVCIS *accepisti.*

Non

Non sat animi habebat Staurophila, vt his rationibus acquiesceret. Proinde, fateor, inquiebat, quòd coram te, Domine, multis peccatis obnoxia sim, non tamen iis quæ publicè oculos hominum offendant, quæque ipsi me designasse clamant. Quid tu semper, aiebat Christus, hominum attendis dicteriis? *Gloria nostra hæc est*, inquiebat Paulus, *testimonium conscientiæ nostræ. Benè ergo sibi conscius, falsis non debet moueri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse conuitio, quàm in suo testimonio.* Ad hæc Staurophila: Vtcumque non reprehendat me cor meum, nec grauioris mihi conscia sim sceleris, durum tamen censeo inter flagitiosos publicè censeri.

2. Corinth. 1, 12. Ambros. de Offic.

Eamdem, aiebat Christus, reiteras cantilenam: & durum id esse non nego, sed tamen tolerabile. Neque similitudo CRVCIS, quâ tam boni quàm mali discruciantur, meritorum probat æqualitatem. *Quicumque enim boni maliq; pariter afflicti sunt, non ideò ipsi distincti non sunt; quia distinctum non est quod vtrique patiuntur. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribulâ stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur, nec ideò cum oleo amurca confunditur, quia eodem prælipondere exprimitur; ita vna eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat,*

Auguſt. l. 1. de Ciuit. Dei cap. 8.

stat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, boni autem precantur & laudant. Nam pari modo exagitatum & putorem suum exhâiat cænum, & suauiter fragrat vnguentum.

Nescio quid dicam, aiebat Staurophila, de CRVCEM ferre, & passim ab omnibus subsannari, duplex malum. Imò vnicum, aiebat Christus: hæc enim altera CRVCIS pars est, sub eâ, & cum eâ contumeliam pati.

2. Timoth. 3, 12. *Omnes enim qui piè viuere volunt, persecutionem patientur.* Et commune est in hoc sæculo, vt

Prou. 14, 2. *ambulans recto itinere, & timens Deum, despiciatur ab eo qui infami graditur viâ.* Sed relinque mundo iudicia sua, & vanas opinationes, *tu me sequere.*

Ioan. 21, 22. * Ioan. 15, 19. * *Si de mundo* esses, *mundus quod suum est diligeret*; nunc autem odio te *mundus*, quia *elegi* te *de mundo*, vt sequereris me, & CRVCEM tuam baiulares: sed & hoc scito, quia me priorem odio habuit.

Chrysost. Homil. 7. in Epist. ad Philip. subsannauit, & irrisit. *Propterea enim Iudæi dedità operâ, istâ morte* CRVCIS *interimere me voluerunt, vt probrosum quoque efficerent; vt, etsi nemo propterea à me abstineret quòd occisus essem; abstineret tamen vel ideò quòd hoc mortis genere occisus essem.* Sed hoc ipsum diligentes me magis allicit, quòd propter ipsos plenam dedecore mortem elegerim. Atque hæc ipsorum est in ignominiis

miniis consolatio, quòd mihi efficiantur quàm simillimi.

Magna hæc, aiebat Staurophila, perfectio est; nec omnibus, vti credo, communis: ego verò infirma sum, nec tam alta præsumere ausim. Ita est, inquiebat Christus, perfectorum hoc studium est, sed ad illud omnes omnino hortatus sum: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et quidam in patientiæ gymnasio non mediocriter eruditus, ita scripsit: *Is qui ad placidissimam animi quietem atque ad Deum currit, die omni, quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Sicut enim arbores, quæ à ventis agitantur, altioribus semper radicibus nituntur: ita & qui in obedientiâ degunt, validas atque inconcussas animas possident.* Quàm vellem, aiebat Staurophila, & ego tantum in VIA CRVCIS profecisse, tantumque animi robur obtinuisse! Confide filia, inquiebat Christus, primum bonæ mentis signum est, virtutem concupiscere; crescente deinde desiderio, facilè crescet & studium. Si ergo vlteriùs optas instrui, audi eumdem pietatis Magistrum: *Initium*, inquit, *beatæ tolerantiæ est, in amaritudine & dolore animæ ignominias suscipere: Medium verò, eas tolerare sine mœrore: Finis autem & consummatio, illas laudem existima-*

Matth. 5, 48.

Climach. Grad. 4.

Idem Climach. Gradu 8.

*Ibid. paucis interiectis.

re. * Vidi ego tres vnà Monachos iniurijs fectos, ex quibus vnus mordebatur quidem iurijs atque perturbabatur, sed tamen in sil tio premebat iracundiam: alius verò g debat quidem ex luctu suo, sed eius qui se ma dictis insectatus fuerat peccato angebatur: te tius verò proximi tantùm damna secum c uens, vim ardentium lacrymarum profun bat. Eratq; suaue spectaculum, timoris, & mo cedis, & charitatis operarios aspicere.



CA

CAPVT IV.

Ostentatio in CRVCIS *baiulatione vitanda.*

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. *Matth.6,1.*

Non quid agas, sed quò spectes, Deus vndique spectat,
Ferre tuam, vanum, vt sancta ferare, CRVCEM.



ON illibenti animo hæc excipiebat Staurophila, iamq; meditabatur in opus conferre; cùm illud, quod vulgò dici solet,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt, Horat.

ei euenit planissimè. Intellexerat non trahendam retrò CRVCEM, vt ignobile onus, non formidandam CRVCIS ignominiam, quæ gloriæ esset seminarium, proinde aliud nihil quàm gloriam & honorem aucupabatur. CRVCEM siquidem transuersim ante se ferens, omnium se oculis visendam exponebat;

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis. Matth. 6,1



Non quid agas, sed quò spectes, Deus vndiq; spectat.
Ferre tuam, vanum, vt sancta ferere, CRVCEM.

bat; hoc nomine magnam se rata, quòd iam CRVCIS Christi esset gerula. Ita infelix, quæ ostentui haberi metuebat, in probrosam incidit ostentationem.

Animaduertens id Christus, noui erroris eam commonefecit. Et quid hoc, inquit, filia? præcedens vitium æquali vel maiore vis corrigere? CRVCEM te tollere, non te extollere oportet. Et vide, quàm parum succedat hæc talis baiulatio: vbique enim impingis, atque ipsa CRVX tibi impedimento est, ne angustam regni cælestis ingrediare portam. Non legisti quâ ratione id S. Arsenio olim fuerit ostensum? Sedebat hic aliquando in cellâ suâ, *& venit vox dicens ei: Veni ostendam tibi opera hominum. Et surgens exijt, & ecce vidit templum, & duos viros sedentes in equis, & portantes lignum transuersum, vnum contra vnum: volebant autem per ianuam intrare in templum, & non poterant, propter lignum illud quod in transuerso portabant: & non inclinantes se vnus post alium, vt fieret lignum illud directum, remanserunt foris extra ianuam templi. Et cùm interrogasset quid hoc esset, ille respondit ei: Hi sunt, qui portant velut cum superbia iugum iustitiæ, & humiliati non sunt vt corrigant se, & ambulent humiliter in* VIA CHRISTI; *propter quod & remanent foris à regno Dei.* Viden' vt hîc

Pelag. in Vit. Pat. lib. 5. libell. 18. num. 2.

tua depingatur insipientia, & quanto te discrimini exponas? CRVCEM ferre, & hoc ipsum ad gloriam referre, vanum est, nullamque meretur mercedem.

Respondit Staurophila: Quòd hoc pacto, Domine, me gêram, id eâ gratiâ feci, ut vel maximè declinarem errores illos, de quibus proximè monueras. Neque tantum mali in eo credebam, quòd aliquantam gloriam admitterem: occurrebat enim illud quod legeram,

Ouid. 5. Trist. Eleg. 15. —— *Non paruas animo dat gloria vires:*

& :

—— *Immensum gloria calcar habet.*

Hoc igitur stimulo me ad duram alioqui CRVCEM excitabam, nec inconueniens arbitrabar hoc qualicumque fomento difficultates, quæ ei insunt plurimæ, nonnihil solari. Si gloria delectat, inquiebat Christus, æternam eamque solidam specta, temporalem hanc & inanem procul abijce. S. Nilus Orat. 7. *Ne vendas*, quæso, *labores tuos humanis laudibus, nec futili famâ proïjcias futuram gloriam. Laus enim humana in puluere domicilium habet, & gloria eius extinguitur super terram; vera autem & solida virtutis gloria manet in sempiternum.* Quàm peruersum est diligere gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei! Extremæ est, Staurophila, demeritiæ, in re-

bus

bus spiritualibus non nisi inanem spectare gloriam: hoc enim est & labore se affligere, & mercedem prodigere. *Seruus ad Domini oculos respicit, ad herum mercenarius, & ad præceptorem discipulus: tu contrà omnino, remunerantem Deum Dominumq; relinquens, ad conseruos respicis, etsi benè noueris Deum rectè factorum tuorum in futurum quoque recordaturum, hominem verò tantùm ad præsens, & quidem vtcumque. Et cùm habeas theatrum in cælo constitutum, spectatores tamen in terrâ tibi deligis & colligis. Athleta quidem vbi certat, ibi & probari cupit: tu cùm in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris.* Chrysost. Hom. 17. in Epist. ad Rom.

Numquam sanè credidissem, inquiebat Staurophila, tantum mali esse, gloriolam aliquam venari ex re non malâ. Parum mihi, inquiebat Christus, versata videris in scholâ pietatis: an nõ audiuisti quàm seriò monuerim: *Attendite ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est?* Matth. 6. 1.

Nónne hoc nomine hypocritas damnaui, quòd eleemosynam facientes, tubâ canerent ante se, & *quòd in Synagogis & angulis platearum stantes orarent*, vt honorificarentur ab hominibus? Ibid. 2.

hæc enim pietatis opera volui fieri in abscondito, vt *Pater* cælestis, *qui videt in abscondito*, reddat mercedẽ.

Hæc quidem, inquiebat Staurophila, et non rarò audierim, memoriæ tamen non occurrebant, neque attentiùs illa hactenus expendi. Et hoc scilicet est, inquiebat Christus, quòd viuus sermo meus & efficax tam paruum in vobis fructum faciat. Sed vt porrò pergam, non malè quidam seruorũ meorum dixit: *Mater gehennæ, est inanis gloria.* Nec est, vt multis hoc probetur, nam & Regius Vates olim cecinit: *Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* *Væ semel, & vae iterùm portantibus* CRVCEM meam, *& non sequentibus* me! *quia nimirum, cuius passionibus participant, humilitatem sectari negligũt. Duplici quippe contritione conterentur, qui huiusmodi sunt, cùm & hîc pro temporali gloriâ se affligant, & in futuro pro internâ superbiâ ad æterna supplicia pertrahentur.*

Chrysost. Hom. 17. in Epist. ad Rom.

Psal. 52, 6.

*Bernar. in Apolog. ad Guilielm. Abbat.

Sed, obsecro mi Domine, aiebat Staurophila, doce ancillam tuam, vt pestem hanc fugere queat. Cui Christus: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus mentis, intentio est cordis, hæc si fuerit recta, totum actionum tuarum corpus rectum, pulchrum ac lucidum erit: sin distorta, nequam erunt quæcumque ex eâ processerint. *Non tantùm si bonum est quod facis, sed præcipuè*

Luc. 11, 34.

August. in Psal. 118. Conc. 11. in medio.

puè si bonum est propter quod facis, cogitandum. Auerti poscebat Psalmista oculos suos ne viderent vanitatem, id est, ne hanc attenderent, & propter hanc fieret, cùm bonum aliquid fieret. Deus enim, *non valdè attendit quid homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat.* Quare quod Apostolus meus monuit: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Idipsum in hâc VIA CRVCIS tibi quàm maximè inculcatum velim, vt scilicet intentio tua sit recta, & ad Deum directa. De animalibus illis Ezechieli olim ostensis, scribitur: *Facies eorum & pennæ eorum extentæ* erant *desuper. Quid autem per faciem, nisi intentio; quid per pennas, nisi contemplationis volatus designatur? Omne proinde bonum quod agitur per intentionem, semper ad cælestia eleuetur. *Quælibet enim actio, quamuis bona videatur, tamen quasi mortua iudicatur, si non per intentionem bonam animetur. *Nihil igitur propositio vanitatis, & inanis gloriæ capessendæ gratiâ facias, quæ autem bono initio cæperis, obseruatione simili custodire nitaris.*

Augustin. in Psalm. 31.

1. Corinth. 10, 31.

Ezech. 1. Gregor. l. 1. in Ezech. Homil. 1.

*Richard. de S. Vict. de Stat. int. hom. c. 7.

*Cassian. l. 11. Instit. cap. 18.

Sed quomodo captandæ humanæ laudis, aiebat Staurophila, *vitium declinabo? Si tibi certò persuaseris*, respondebat Christus, *vbique Deum adesse. Siquidem nemo est, qui cùm in oculis Domini sit, cum illius dedecore conseruo*

Basil. in Reg. Breuio. qu. 34.

Chryſoſt. Hom. 5. in Geneſ.

ſuo malit gratioſus eſſe, quàm Domino. Nõ vid in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitã non aduertunt plausũ populi aſſidentis, nec vo luptatẽ ex eo plauſu capiunt; ſed in vnũ Regem in medio ſedentem oculos intendunt, ac ad nutũ illius attendentes, totam multitudinẽ deſpiciũt. Hos & tu imiteris, nõ magni faciẽdo hominum famam, ſed ſententiam iudicis iuſti exſpectando, atque ad nutum eius omnia dirigendo.

Quid verò vlteriùs faciendum? percontabatur Staurophila. Hoc, inquiebat Chriſtus, vt humili ac ſubmiſſo animo, atque ab omni inſolentiâ remoto, CRVCEM feras. *Heraclius* Imperator *auro & gemmis ornatus, ſolẽni celebritate ſuis humeris* CRVCEM referre volens *in eum montem, quò* ego *eam* olim *tuleram, inſiſtere coactus eſt in portâ. Quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Quâ re cùm & ipſe Heraclius & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias Ieroſolymorum Antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſte triumphali ornatu, in* CRVCE *ferendâ parum Ieſu Chriſti paupertatẽ & humilitatẽ imiteris. Tunc Heraclius, abiecto ampliſſimo veſtitu, detractiſq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Caluarię loco ſtatuit.* Hoc pacto CRVCEM ferri deſiderio, vt geſtu ſcilicet humili incedas, & quãtùm fieri poteſt, hominum oculos cautè declines.

Breuiar Roman. 14. Sept.

CA-

CAPVT V.

Non præcedendum, sed Christum cum CRVCE *sequendum.*

Qui festinus est pedibus, offendit.
Prouerb. 19, 2.

Quæ præit, errat ouis: propriam lubet ordine recto
Si portare CRVCEM, *ponè sequare Ducem.*



VT qui à rectâ viâ semel deuiauerit, in alia semper incidit diuerticula: ita qui superficietenus Deum tantùm quærit, semisaucià voluntate, volens nolensque rectam numquam tenebit semitam, ex vno in alium labetur errorem. Experta id fuit Staurophila, quæ dum docetur vnum cauere vitium, in alterum incidit. Tot enim iam monitis instructa, meditabatur generosè CRVCIS iter onusque suscipere, nec vllis cedere difficultatibus. Feruidè igitur CRVCEM in humeros conijciens, non exspectato Domini responso, præcurrere satagebat: nihil interim hîc sibi simplex columba metuebat, cùm & proprio niteretur iudicio, & sine duce tam arduum iniret iter.

At

Qui festinus est pedibus, offendit. *Prou. 19.*



Quę præit, errat ouis: propriam lubet ordine recto
Si portare CRVCEM, *ponè sequare Ducem.*

At Christus ponè eã retinens, reuocansque; Erras, inquit, ô Staurophila, & temerario peccas feruore: oblita siquidem videris earum quas anteà tradidi instructionum; ita vt rursus indigeas edoceri quæ sint elementa exordij sermonũm Dei. Cui illa: Quænam istá sunt Domine? Respõdit Christus: Ignoras etiam? an non principiò dixi, *Si quis vult post me venire, tollat* CRVCEM *suam, & sequatur me*? idemtidem inculcans, vt & venires post me, & baiulans CRVCEM sequereris me, quasi satis non foret, semel id monuisse; tu interim ne semel quidem id animo reuoluisti. Luc. 9, 23.

Necdum Staurophila errorem suum agnoscebat, sed volens iustificare semetipsam, respondebat: Domine, semper audiui displicuisse tibi tepidos & dissolutos, contrà placuisse *spiritu feruentes, Domino seruientes*. Et memini Apostolum tuum non ad ambulandum, sed percurrendum Christianæ vitæ stadium exhortari. *Sic*, inquit, *currite, vt comprehendatis*. Quid igitur pecco, si gnauiter me ad cursum accingam, & currere etiam incipiam? Et nónne sic breue, quod vitæ meæ restat tempus, feruore compenso? In eo, inquiebat Christus, delictum est, quòd non venias post me, quòd ME (vt iam dixi) non sequaris, quòd ducem non habeas, nec Rom. 12, 11. 1. Corinth. 9, 24.

ma-

Ambr. super Ps. 118. Serm 5.

magistro vtaris. *Miles qui ingreditur iter viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, ne discedat à signis, sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud; præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaq; viâ conficit iter; meritoq; non deficit qui Imperatorem sequitur suum. Hanc legem viarum esse præscriptam me docente & ducente, Sanctis commeantibus, recognoscas velim.* An tu mysterio vacare censes, quòd Cyrenæus ille Simon CRVCEM tulerit meam, non ante, sed POST ME? Quid enim hoc insinuabat, nisi quòd *bonus ordo* spiritualis *profectus* hoc exigebat, *vt prius* CRVCIS meæ *trophæum ipse erigerem, deinde Martyribus*, alijsque *traderem erigendum.* * *Præcurrens Zacchæus ascendit arborem sycomorum*, priusquam ego CRVCIS arborem conscendissem, sed quid ei dictum fuit? *Festinans descende. Si sapis, descende ante Dominum de Adamiticâ arbore, vt post* CRVCEM *Dominicæ paßionis ascendas.* Ita in arcano sermone sequi eum, non præcedere docui.

Luc. 23.

Ambros. lib. 10. in Luc. c. 23.

*Chrysol. Serm. 54.

Quid verò mali, aiebat Staurophila, si quis præcedat? nam si bonum CRVCEM ferre, quid adeò ductore & Doctore opus? Nimirum, inquiebat Christus, vt bonum fiat benè. *Intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio; sed sibi vnus atten-*

Basil. in c. 1. Isai.

attentum esse, quasi solus possit decernere quæ optima sunt. * *Ridiculum planè est, vt vilium ac mechanicarum artium magistros nanciscaris, huc atque illuc oberrare; diuinam tamen* Stauroſophiam *tamquam vile aliquid ac despicandum tibi ipsi reseruare.* Quare id maximè rogo *ne ipsa te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam numquam ingressa es: statimq; in alteram partem declinandum sit, & errori pateas; plusq; aut minùs ambules, quàm necesse est: ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.*

*Isido. Peluſiot. l. 1. Epiſt. 260.

Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſt.

Numquam arbitrata fueram, aiebat Stauroſophila, magnum eos ſubire periculum, qui in ſpiritu vehementi ſtuderent procedere, atque etiam præcedere; nec vmquam mihi tantopere proprium iudicium ſuſpectũ fuit. Id verò, aiebat Chriſtus, imperitiæ tuæ facilè condonauero. Quàm malum autem ſit, ſuo, etiam in re piâ, niti iudicio, & me, vel qui vice meâ fungitur, velle præcedere, ſatis Apoſtolorum Principi declaratum fuit. Præcedere quodam loco Petrus volebat, audiens enim de CRVCE & paſſione me loquentem, ait: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed quid reſponſi tulit? *vade poſt me ſatana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Quid eſt hoc? *Ille qui anteà audierat; Beatus es Simon Bar-Iona, quia non tibi reuelauit caro*

Matth. 16, 23.

Auguſt. in Pſalm. 69.

&

& sanguis, sed Pater meus qui in cælis est: modò repentè audit: Redi post me Satanas. Quid est, Redi post me? Sequere me. Præcedere me vis? consilium mihi dare vis? Melius est ut consilium meum sequaris: hoc est, redi retrò, redi post me. * *Sic antecedentem compescebam & Satanam appellabam*, quia *volebat docere Ducem, docere Magistrum, iubere Dominum.* Crede mihi, Staurophila, *qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Vnde lepido apophthegmate prisci monachorum Antistites dicebant: *Si videris iuuenem voluntate suâ ascendentem in cælum, tene pedem eius, & proÿce eum in terram, quia non expedit ei.* Viden' vt noceat præpropera festinatio?

*Idem in Psalm. 55.

Bernard. Epist. 87.

Ephræm tom. 2. Parænes. 35

Hui! exclamabat Staurophila, quid tantum mali est, voluntate propriâ in cælũ conscendere? Illud scilicet, respondebat Christus, *quòd voluntas propria sit pes superbiæ, quo nemo totus cælum introiuit.* Iterùm dico, * *qui priuatum sequitur geniũ, & absque cognitione ac directione Euangelicâ graditur, impingit in multa. Plerique siquidem, non modicos labores, & exercitationes decurrerunt; afflictiones & ærumnas multas, tamquam Dei nomine pertulerunt: priuata tamen dispositio & indiscretio, item arbitrari se non egere auxilio proximi, ipsorum tam graues labores, fatigationes,*

Gerson tom. 3. tract. de Relig. perfect. consid. 12.

* Marc. Eremit. in Præcept. salutar.

tiones, & vexationes infructuosas effecerunt. Tu igitur hoc barathrum fuge, &, si sapis, me sequere. Moysen imitare, qui monitus vt ascenderet de loco in quo erat ad Terram promissionis, confidenter Domino dicebat: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus, ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum.* Sic & tu filia, time vel vnum figere pedem, nisi innixa super dilectum tuum, & sequens vestigia eius. Si currere iuuat, non improbo quidem, noli tamen præcurrere. *Exultaui* ego *vt gigas ad currendam viam*, si me volueris consequi, oportet sequi: non in virtute propriâ, sed me trahente, & gratiâ meâ adiuuante. Hoc Sulamitidis votum fuit, quæ non præire, sed trahi optabat, vt curreret post me in odorem vnguentorum meorum.

Exod. 33, 15.

Psal. 18, 6.

Cant. 1, 3.

Gloria magna est, sequi Dominum. Eccli. 23



Lux ego sum mundi, mea post vestigia curr
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

CAPVT VI.

Exemplo Christi CRVX *ritè ferenda.*

Gloria magna est, sequi Dominum.
Eccli. 23, 38.

Lux ego sum mundi, mea post vestigia curre:
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ioan. 8, 12.

TANDEM aliquando tot conuicta rationibus, tot incitata exhortationibus Staurophila manus dedit, & CRVCEM ritè gestare occœpit, alacri animo Christo dicens: *Præcedat Dominus meus* ancillam suam, *& ego sequar paulatim vestigia eius.* Factum benè, inquiebat Christus, & nunc sapis, ô filia. *Ego* namque *descendi de cælo pro tuâ salute: suscepi tuas miserias, non necessitate, sed charitate trahente: vt patientiam disceres, & temporales miserias non indignanter ferres.* Tum Staurophila: *Domine, quia tu patiens fuisti in vitâ tuâ, in hoc maximè implendo præceptum Patris tui, dignum est vt & ego* misella peccatrix *secundùm voluntatem tuam patienter sustineam: & donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ & CRVCIS huius pro salute meâ portem. Nam etsi* Gen. 33, 14. Thomas à Kemp. lib. 3. de Imit. Christi cap. 18.

onerosa sentitur præsens CRVX, *facta est tamen iam per gratiam tuam valdè meritoria atque exemplo tuo tolerabilior & charior. Quantas tibi gratias teneor referre, quòd* VIAM *rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus ad æternum regnum tuum ostendere! nam vita tua,* VIA *nostra: & per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu, quanti longè retrò manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent!*

Ioan. 13, 15.

Ita est, inquiebat Christus, ideò enim *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Nauigantibus ad sidus aliquod dirigendus est cursus. Pictores, vt imaginem exprimant, prototypon intuentur. vis ritè ferre CRVCEM, quem, nisi me baiulantem mihi CRVCEM, proponere potes? huc spectauit Apostolus meus, cùm dicens:

Hebr. 12, 1. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem* IESVM.

O Domine, inquiebat Staurophila, hoc cùm perpendo, vnà cum dilecta Sulamitide

Cant. 1, 12 dicere lubet: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Vtrum enim mihi es, Domine* IESV, *& speculum patiendi, & meritum: vtrumque fortiter prouocat, & vehementer accendit. Propterea sem-*

Laurent. Iust. in Ligno vitæ de Passion. cap. 5.

per

per habebo te, Domine, non retrò in humeris, sed antè, præ oculis: ne portans te, ô dilecte mi, fasciculum myrrhæ, & non odorans, onus premat, & odor non erigat. Videns enim tuas angustias, Domine, meas leuius portabo.

Eia sic age, inquiebat Christus, *Gloria enim magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Eccli. 23, 38. Nam quod pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur, SEQVERE DEVM; hoc verè perficiunt serui mei, qui per REGIAM VIAM CRVCIS me sequuntur. Hi profectò non meritum tantùm, sed magnam etiam apud Deum assequuntur dignitatem. Exhilarata his verbis Staurophila, In quo, obsecro, aiebat, hæc dignitas sita? In eo, respõdebat Christus, quod digni Deo efficiantur. An non legisti, quid de iustis Scriptura dicat: *Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, coram hominibus tormenta passi sunt?* Sap. 3, 2. sed quid coram Deo? *Deus*, inquit, *tentauit eos, & inuenit illos* DIGNOS SE. Quàm felix CRVX! quàm beata afflictio, quæ dignum facit Deo! *Is solùm miser est, qui in afflictione constitutus nimiùm tristatur, & Deo non se dignum præbet.* Nicetas Choniat. Ideoque clarissimè edixi, *Qui non accipit* CRVCEM *suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10, 38.

Admirans verò Staurophila, exclamabat:

Eccle. 2, 12. *Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?* Mihi sanè adhærere IESV meo boni est; illum sequi opto, illi vniri concupisco.

Leo Ser. 2. de Resurrect. *Nam si mundanæ sapientia ita in suis gloriatur erroribus, vt quem sibi quisque ducem elegerit, eius opiniones & mores, atq; omnia instituta sectetur: quæ* mihi *erit communio nominis tui Christe, nisi vt tibi inseparabiliter vniar,*

Ioan. 14, 6. *qui es, vt ipse insinuasti,* VIA, *& veritas, & vita? VIA videlicet conuersationis sanctæ, veritas doctrinæ, & vita beatitudinis sempiternæ.*

Rectè tu illud quidem, subijciebat Christus; ego enim sum VIA, & per me venitur

Leo Serm. 16 de Passione. ad me. *Per Christum enim ad Christum tenditur, qui per semitam patientiæ & humilitatis incedit. In quo planè itinere nec æstus desit laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis: ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superborũ; quæ ego Dominus & Rex gloriæ ideò omnia percurri, vt inter præsentis vitæ pericula, non tam optandum esset hominibus declinando ista effugere, quàm tolerando superare.*

Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi, inquiebat Staurophila, & miror sanè, inueniri quàm plurimos, qui te recusent sequi. Magis etiam miraberis, aiebat Christus, si attendas quid damni patiãtur qui noluerint sequi. Ego enim caput sum hominũ, illi autẽ mea membra.

bra. *Recusat* porrò *esse in corpore, qui odium mundi*, CRVCEM & tribulationes *non vult sustinere cum capite*: nec meretur congaudere in patriâ, qui recusat condolere in VIA. Augusti. Serm. 47. de Sanctis.

Quidni, inquiebat Staurophila, *caput suum membra sequantur, si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo est glorificandum.* Felix omnino *membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocumque ierit! Causa patiendi capiti fuit, vt corpori præberet exemplum*; tu enim, Domine, *voluntate passus es, nos necessitate: tu miseratione, nos conditione. Tua proinde voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio, vt quando talia fortè perpetimur, intueamur caput nostrum, vt eius exemplo commoniti, dicamus: si fecit ille, quid nos?* Si, inquam, tu, *qui peccatum non fecisti, nec est inuentus dolus in ore tuo*, tot ludibria, tot alapas, tot flagella, tot spinarũ aculeos perpessus es; si saucijs cruentatisq; humeris CRVCEM baiulasti, quid nos? Vtinã Domine *totus mihi figaris in corde, qui totus pro me fixus es in* CRVCE! Vtinam non recedat ab oculis meis imago Domini mei CRVCEM baiulantis, vt alacriter quoq; meã discam baiulare! *Deuotus enim miles non sentit sua, cùm benigni Ducis intuetur vulnera.* Bernard. Serm. 1. in cap. Ieiun. Augusti. in Ps. 34. 1. Pet. 2, 22. Augusti. lib. de Sanctâ virgin. Liuius l. 2, decad. 1.

Id quod in præsenti est momentaneum et leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2 Cor. 4, 17



Quid CRVCIS *abscindis pondus tolerabile?* CRVX *ist*
Quę grauis, illa breuis; quę diuturna, leuis.

CAPVT VII.

Depulsio querelæ de nimio CRVCIS *longitudine, aut pondere.*

Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Corinth.* 4, 16.

Quid CRVCIS *abscindis pondus tolerabile?*
CRVX *est*
Quæ grauis, illa breuis; quæ diuturna, leuis.

QVI ex animo se Christi dedicauerunt seruitio, primùm quidem suauibus quibusdam solatiis solent delinifi; nam instar paruulorum, quibus lacte opus sit, à benignissimo Patre habentur. At vbi in virtute nonnihil adoleuerint, grauioribus subinde exercentur tentationibus. *Hostis* enim *noster quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.* Quin & ipse Deus nonnumquam se subducit, vt athletas suos experia- Greg. l. 24 Moral. c. 7

tur : atque hinc est quòd desolationis tempore, non rarò illa displiceant, quæ durante consolatione vel maximè placebant. Vicissitudinem hanc expertus est Regius Vates; Psal. 29,7. qui de prosperitatis statu ita canit: *Ego autem dixi in abundantiâ meâ : Non mouebor in æternum.* Sed quid in aduersitate ? *Auertisti*, inquit, *faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Eamdem quoque alternationem in Staurophilâ deinceps considerabimus. Vidimus eam iugo Domini collum submittentem, vidimus CRVCEM alacriter gestantem, & lætitiâ propemodum gestientem : nunc exortâ tempestate querulam, gementem, & tantùm non sub onere fatiscentem intuebimur. Hilariter CRVCEM exceperat, sed quò diutiùs eam ferebat, eò magis premebatur : & modò æquo longiorem, modò nimis querebatur grauem. Ad callida proinde conuertitur consilia, & abesse Christum rata, inferiorem CRVCIS partem ferrâ, nescio vnde acceptâ, abscindere cœpit.

Huic verò dum esset intenta operi, superueniens Christus, eam redarguit. Quid est, inquiens, quod video ? Et hæc CRVCIS contumelia est, illi vel modicum velle demere. Hoccine desideratum priùs & suaue

iugum

iugum meum ferre? Cui Staurophila: Bona verba, quæso Domine. CRVX hæc longior apparet, quàm vt eam ferre valeam, ideoque nonnihil amputandam putaui. Rectè, inquiebat Christus, dixisti, apparet; non enim reuerà est, sed oculis malè affectis, aut per opinionum perspicilia delusis ita videtur. Breuis CRVX & *leuis dolor est, si nihil illi opinio adiecerit. Contrà, si exhortari te cœperis, ac dicere, Nihil est, aut certè exiguum est, duremus, iam desinet: leuem illam dum putas, facies. Ad opinionem* homines *dolent: tam miser est quisque, quàm credit.* Seneca Epist. 78.

At ego, aiebat Staurophila, dolorem grauem sentio. Cui Christus: *Quidni sentias, si muliebriter tuleris?* Non sentire* CRVCEM, *non est hominis; non ferre, non est viri* aut viraginis fortis, quæ pro regno Dei fortia agere & pati Christianum putat. Senec. ibid. * Seneca de Consol. ad Polyb. c. 36.

Demiror ego, replicabat illa, CRVCEM posse dici nec longam nec grauem, quam talem videmus, palpamus, sentimus. Per eamdem lineam, respondebat Christus, serram reciprocas, vnde & regero quod antè dixi: *Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus.* Epict. Enchirid. c. 10. Fit nonnumquam, vt duo quidam simillimâ & eadem pænè CRVCE premantur: alter

alter excitatioris animi, ſuam putat eſſe chartaceam; alter abiectioris & triſtioris, ſuam prorſus plumbeam. Hîc non res, ſed opinio diuerſa eſt. Vis exemplo doceri?

Drexel. ib. cap. 4. ex Dionyſ. Carth. in Append. ad inſtruct. Nouit.

Erat Carthuſiani Ordinis Nouitius quidam principio alacer, & ad omnia promptus, paulatim autem cæpit langueſcere, & inter onera numerare, quæ initio facillima videbantur. Illud præcipuè religioſum iuuenem vexabat: niger ei cucullus vt tironi ferendus erat. Hunc ille iniquiſſimis oculis intueri, & trabalem CRVCEM *credere, quod aliorum neminem fatigauit. Fuit, vt huic iuueni meridianum ſomnum conciliaret altiſſimi ſilentij quies. Dum dormit, ſomniat* me *cum prægrandi* CRVCE *per cœnobij ambulacrum incedere, & aſcenſum moliri per ſcalas, nec tamen progredi poſſe, ob immodicam* CRVCIS *molem. Igitur ille ipſe tiro, qui hoc ſomniabat, viſus eſt ſibi accurrere, & adiuuare velle laborantem. At eum toruè intuens: Et tu,* inquiebam, *impatientiſſime, in meâ mihi ferendâ* CRVCE *ſis auxilio? tuam portare nequis, & alios iuues? Euigilauit tiro ad has voces, & reſipuit, robuſtiora patientiæ ſpecimina daturus.* Quis non dixiſſet: Cucullus, mi frater, quem horres, ater quidem eſt, ſed leuis eſt, & ex ritu Ordinis Nouitiis omnibus geſtandus? *Abſit à ſeruo Chriſti tale*

Tertul. lib. de Patient. cap. 8.

tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis exsidat.

Non poterat his, vtcumque vellet, contradicere Staurophila; sed Assentior tibi, inquiebat, Domine IESV: *Morosum* est, vt equidem experior, *genus humanum, sortem suam semper accusans, & animum gerens grauatum. Proprium enim vnumquemque plus, quàm alienum afficit, & se proximos quisq; superare putat. Sic oculum habens vitiatum, nullam ægritudinem aliam, talem esse censet, qualem suam: rursum qui stomacho laborat, hoc omnium esse difficillimum asserit; & quo quisque tenetur, hoc omnium molestissimum esse dicit.* Idem euenisse mihi non diffiteor, sed hoc tamen mihi concedas velim, vt quando de longitudine CRVCIS nihil resecare conceditur, liceat saltem dolabrâ hanc nonnihil læuigare. Præterquam enim quòd grauis nimium sit, rudis est & aspera CRVX, vt artus mihi planè comminuat. Chrysost. Hom. 67. ad pop. Antioch.

Sic loqueris filia? reponebat Christus: cessa conqueri, *melius est frangi laboribus & doloribus ad salutem, quàm remanere incolumem ad damnationem. In quantum autem grauaris, in tantum lucraris, & in quantum iuuaris, in tantum tua tibi præmia minuis. Elige ergo, quod eligas, an quod grauando iuuet, an quod iuuando grauet: hoc* Bernard. de Inter. domo cap. 46. Idem Epistolâ 73.

hoc tibi meritum auget, illud minuit.

Sed enim, inquiebat Staurophila, impar ego sum tanto operi. Quasi verò, aiebat Christus, æterna Sapientia nesciret, quantum hominum ferrent vires? Repetendúmne iterùm quod dictum & doctum iam satis: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos* 1. Cor. 10, 13. *tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere?* Nouit Medicus cur vni plus absynthij aut hellebori misceat, quàm alteri: nempe quia morbus eius sic postulat, aut natura. *Emplastrum mordax vrit te,* Augustin. in Psal. 98. post med. *sed sanat te. Rogas Medicum, vt tollat emplastrum, & non tollit, nisi cùm fuerit sanatum quo posuerat. Ego noui quem curo, non mihi det qui ægrotat consilium,* potiùs acquiescat meo, si sanari velit.

Ingemiscens Staurophila, Ah! grauis est, inquiebat, Domine, manus tua super me, & ecce deficio pænè sub hac tam longâ, tam graui, tam acerbâ CRVCE. Repugnas, aiebat Christus, spiritui Dei, qui per Apo- 2. Cor. 4, 16. stolum meum ait: *Non deficimus, licet is, qui foris est noster homo corrumpatur.* Et, quare obsecro? quia *is, qui intus est, renouatur de die diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & lene tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pon-*

pondus operatur in nobis. Perge ergo iam *murmurare, & dicere; longum est, graue est, non possum tam immania, & tam diuturna portare. Apostolus momentaneum & leue perhibet esse quod toleras: & certè necdum à Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepisti, necdum noctè ac die in profundo maris fuisti, necdum plus omnibus laborasti, postremò, necdum ad sanguinem restitisti. Vide ergo, quòd non sint condignæ passiones ad gloriam. Quod tribulationis est, momentaneum est & leue; quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate.*

Bernard. Serm. de Fallac. huius vitæ.

2. Corinth. 11, 24.



CAPVT

Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias; nec deficias, cùm ab eo corriperis. Prou. 3, 11.



Abycit ęternę studium, spem, iusque salutis,
Quę volet impositam deseruisse CRVCEM.

CAPVT VIII.

Crux ferenda quotidie; abiicienda numquam.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cùm ab eo corriperis. *Prouerb. 3, 11.*

Abiicit æternæ studium, spem iusq; salutis,
Quæ volet impositam deseruisse CRVCEM.



T vidit Staurophila, non licere de CRVCIS pondere quidquam imminuere, humeros rursus oneri subiecit, quamuis non admodum libenter; rogabat proinde Dominum: Quàm diu, quæso, hanc tolerabo CRVCEM, & quantum adhuc absum à fine. Longa sanè hæc VIA est, & plurimum adhuc requirit temporis, vt emetiri valeam. Cui Christus: *Custodi* te *à murmuratione, quæ nihil prodest.* Sap. 1, 11.
O quàm longè adhuc es à vestigiis Martyrum, de quibus canit Ecclesia:

Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia; Breuiar. Rom. in Hymn. de plurib. Martt.

Sed corde impauido mens benè conscia
Conseruat patientiam.

Tu autem quereris & indignaris, nunc ob CRVCIS longitudinem, nunc ob ponderis grauitatem; modò temporis incusas diuturnitatem, & ne illud quidem cogitas quæ, & in quem indignêre. Quæ? Homo, vmbra, puluis. In quem? Horrendum dictu, in Deum, in Patrem, & Patrem infinitè bonum, infinitè sapientem. Si autem CRVX non permissa solùm à Deo, sed immissa: tu, quæ fremis, quæ repugnas, quid aliud quàm sceptrum illi (quod in te est) eripis & arbitrium regnandi? Deus, ô filia, bonitas ipsa est: edocere velis infinitam bonitatem, quò se pacto erga te gerat? Aurificis est scire quàm diu auro sit in igne sudandum, nec aurum priùs ex hoc balneo educitur, quàm satis esse purgatum constet. Act. 1, 7. Ita sanè *non* tuum *est nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.* A CRVCE liberaberis, cùm visum fuerit illi qui imposuit. Quid quereris de temporis diuturnitate? Infirmitas tua, facit diu videri quod citò est, *quod tibi longum videtur, citò est Deo; subiunge te Deo, & citò tibi erit.* Augustin. in Psal. 36.

Vtcumque hæc se habeant, inquiebat Staurophila, attritæ sunt omnino vires meæ, &

& præ fatigatione vlteriùs pergere nequeo. Nimiùm prolixus hic labor, & qui eum sequitur dolor. Et Christus: Mitte inanes has voces, rectiùs enim diceres, Non volo, quàm, Non valeo hanc CRVCEM ferre: *Omnia* enim *potes in eo qui* te *confortat: possesvtique*, si velles; *sufficit* enim *tibi gratia mea. Nec est durum, nec graue quod ille imperat qui adiuuat, vt fiat quod imperat. Proprium est ægri, nihil diu pati, & mutationibus vt remediis vti.* Age, Staurophila, constanter age, nec assiduitate à susceptо semel CRVCIS iugo deterreare. *Si exiguus, est dolor, feras, leuis est patientia; si grauis*, tolera, *non leuis est gloria*; si diuturnus, perseuera, perennis erit retributio: assiduitate ipsâ dolor mitigabitur. *Quod quotidie fit, leuius fertur, & ipsâ consuetudine in naturã transit; adò vt ærumnis ipsis superiores fiant, continuo patiendi exercitio veluti obducto callo obarmati. In mari, qui primùm nauem conscendunt, ob nauigandi insolentiam, perturbantur, tumultuantur, & vertigine corripiuntur: at qui multa maria peragrarunt, & multas tempestates, & saxa, & scopulos, & belluarum impetus, & piratarum insidias pertulerunt, & continuas procellas sustinuerunt, fidentiori deinceps animo, quàm, qui ambulant in terrâ, in naui sedent; non in-*

Phil. 4,13. 2. Corinth. 12,9. Auguſt. Serm. 4. de Diuerſ. Seneca.

Seneca in Excerpt.

Chryſoſt.

tus dumtaxat ad carinam, sed etiam in ipsis nauis lateribus insidentes, & tum in proâ, tum in puppi sine metu stantes: & qui priùs vel ad ipsius maris aspectum cum tremore iacebant, post periculum factum, iam & funem trahunt, & vela pandunt, & remos capessunt, & in omnes nauis partes facilè concursant. Idem ne dubites, filia, & tibi accidet: ferendi difficultatem quotidianus emolliet vsus.

At metuo, aiebat Staurophila, ne hic vsus ita me atterat, nihil vt mihi restet virium. Etenim quem via hæc habitura sit finem, & quando, ne à longè quidem prospicio; quare ad illum vique cum hac CRVCE pertingere non valebo. Velis ergo, inquiebat Christus, arreptum iter deserere? CRVCEM derelinquere? ne, quæso, id feceris; toleratus enim hactenus labor prorsus fiet inanis. Hæc Christianorum vera demum est gloria, cum capite suo dicere: *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.*

Ioan.19,30

Pergebat verò Staurophila conqueri, & Prolixa nimis, aiebat, patientiâ opus est, tot vt hebdomadibus, atque etiam mensibus & annis in CRVCE persistam. Nulla CRVX, respondebat Christus, diuturna videbitur, si ei dederis latitudinem, lôngitudinem, altitudinem, & prôfunditatem.

Augustin. Serm.7. de verb. Apostoli.

Latitudo

Latitudo charitas est; quæ sola benè operatur, efficitque *ne pereat, quidquid boni facis. Quæ est longitudo? Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hæc est longitudo* CRVCIS, *vbi totum corpus porrigitur, vbi quodammodò statur, quo stando perseueratur: Si vis habere* CRVCIS *longitudinem, habeto perseuerandi magnanimitatem. Quid est habere altitudinem, nisi cogitare Deum, & gratis amare ipsum Deum adiutorem?* Crede mihi Staurophila, cùm ego paulò ante mortem grande illud CRVCIS onus ad Caluariæ montem deportarem, vehemens desiderium gratissimam Dei Patris exequendi voluntatem adeò in me excreuerat, vt vel ad extremum vsque iudicij diem pro salute hominum sic incedere nihil recusassem, si sic fuisset visum Patri, & ad illius cessisset honorem. Matth. 10, 22. Thaul. in Exercit. Dom. Pass.

Parum mouebatur his Staurophila, sed laboris pertæsa CRVCEM abiecit, & fugam apparabat. Christus verò eam retentans, aiebat: *Væ his qui sustinentiam perdiderunt.* Quid est hoc, Staurophila? vt quid studes fugere CRVCEM, quam vltrò & magno animo non ita pridem subiuisti? *Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustrà velociter currit, qui, priusquam ad metas venerit, deficit.* Ad quod illa eiu- Eccli. 2, 16. Greg. lib. 1. Moral.

lans, Domine, inquiebat, si cognouissem, tanto tempore, & quidem sine vllâ intermissione ferendam CRVCEM, numquam illam suscepissem.

An non disertè præmonui, subdebat Christus, *tollat* CRVCEM *suam* QVOTIDIE, *& sequatur me: natis enim de Spiritu sancto quantumcumque supereſt mundani temporis, non sine* CRVCIS *susceptione ducendum est.* Nam * *sicut totius corporis est piè viuere, ita totius est temporis* CRVCEM *ferre, quæ meritò ferri vnicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab vnoquoque toleratur.* Sed vide, quæso, quid agas: nam *si abiicis vnam* CRVCEM, *aliam proculdubiò inuenies, & forsitan grauiorem. Credis tu euadere, quò nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine* CRVCE *& tribulatione fuit? Nec ego vel vnâ horâ sine dolore passionis fui, quamdiu vixi. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc* REGIAM VIAM, *quæ est* VIA SANCTÆ CRVCIS. CRVX *semper parata est, & vbique te exspectat. Non potes effugere, quocumque cucurreris: quia quocumque ueneris, teipsam tecum portas, & semper teipsam inuenies. Conuerte te suprà, conuerte te infrà: conuerte te extrà, conuerte te intrà, & in his omnibus inuenies* CRVCEM: *& necesse est te vbique*

Leo Serm. 19. de Pass.

* Idem Serm. 9. de Quadrages.

Thomas à Kemp. lib. 2. de Imitat. Christi cap. 12.

vbique tenere patientiam, si perpetuam velis promereri coronam.

Erubescebat ad hæc Staurophila, nec poterat quidquã respondere. IESVS verò misericorditer sæuiens, coëgit eam abiectam resumere CRVCEM. Et age, inquit, mea Staurophila, CRVCEM hanc rursum tolle, & cœptam perge viam. *Feras, non culpes, quod mutari non potest.* Publ. Mimus.

Illa verò illacrymans, Domine, inquiebat, *imperfectũ meum viderunt oculi tui*, & quid nunc agam, ignoro. Cui Christus: Priorum oblita *in* anteriora te *extendens, ad destinatũ perseuere. Tene*, inquam, *quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Pone te* vt *fidelis* ancilla *Christi ad portandam viriliter* CRVCEM *Domini tui, pro te ex amore Crucifixi. Præpara te ad toleranda multa aduersa & varia incommoda in hac miserâ vitâ: quia sic tecum erit, vbicumque fueris.* Ps. 138, 16. Phil. 3, 13. Apoc. 3, 11. Thomas à Kemp. lib. 2. de Imitat. Christi cap. 12.

Sed nescio, inquiebat illa, quomodo hoc faciã viribus adeò fracta, vix vt queam subsistere. *Cogita*, inquiebat Christus, *quòd siue velis, siue nolis,* CRVCEM *& calamitatem patieris. Quòd si gratè, maxima lucraberis; si verò ægrè & impatienter feras, neque illam ita minorem facies, sed maiorem. Cogitans ergo quod necessitatis est, hoc tuæ voluntatis esse facias. Præcipuum* enim in rebus humanis est, Chrysost. Hom. 44. ad pop. Antioch.

Senec. l. 3. Natur. quæst. in exord.

posse læto animo aduersa tolerare: quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim ferre, *si scisses omnia ex decreto Dei fieri; flere, queri, ingemere, desciscere est.* Grauet CRVX, longa sit VIA, difficultates occurrant plurimæ, toleranda est; Deus enim voluit. Ita Dauid: *Opprobrium*, inquit, *insipienti dedisti me. Obmutui, & non aperui os meum.* & quare? *quoniam tu fecisti.* Hæc scilicet sufficiens erat causa, cur non murmuraret aut obloqueretur Deo, quoniam ipse fecisset. Hoc idem animo tuo reuolue, Stauro-phila.

Psal. 38, 9.

Necessitas sanè hæc, aiebat illa, ingentem tristitiam animo meo obiicit. Cui Christus: Cælum suspice, æterna præmia meditare.

Bles. Epist. 31.

Quod enim impatientia suppliciũ reputat, humiliter patienti ad solatium cedit. Cùm enim patientiæ fructũ consideratiùs pensat, leuigatur onus, & dulcescit afflictio: dum in ipsorum pressurâ grauaminum futuras consolationis primitias iam præguſtat. Cyrenæus ille Simon mercede conductus, CRVCEM *tulit post me; ita cùm* CRVCEM *naturaliter horreat lasciuiens caro, obijciendũ est oculis præmium laboris, vt saltem amore eius* CRVCEM *amplectatur.* Iam verò expende, *si quotidie oporteret tormenta perferre, si gehennam ipsam paruo tempore tolerare,* vt me videre digna esses *venientem in gloriã,*

Citatur vt Orig. Tractat. 35. in Matth.

Auguſt. Serm. 2. in Feſt. Omn. Sanct.

riâ, & *Sanctorum* meorum *numero sociari*; *nónne dignum erat pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæq; gloriæ particeps habereris. Tolera* igitur *quod non vis, vt assequaris quod vis. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Idem in Psal. 79. Apoc. 2, 10

Redibat hîc Staurophilæ animi vigor, & resumptis viribus dicebat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* propter verba labiorum tuorum custodire vias duras.* Eia *Domine* IESV, *sicut dixisti, & promisisti, sic vtiq; fiat, & mihi promereri contingat. Suscepi, suscepi de manu tuâ* CRVCEM, *portabo, & portabo eã vsq; ad mortem, sicut imposuisti mihi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet.* Ita age, Staurophila, aiebat Christus, perseuera mecum in CRVCE, nec antequam, *consummatum est*, pronuntiaueris, CRVCEM deseras. *Si rex Israel est*, clamabant Iudæi; si Filius Dei est, *descendat nunc de* CRVCE, *& credimus ei.* Mihi autem difficile non erat descendere de patibulo, qui potui resurgere de sepulchro: sed *quia patientiam docebam, ideò potentiam differebam.* Tu quoque, ô filia, exemplo meo patientiam exerce prolixam, *qui* enim *perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Psal. 107, 1. * Psal. 16, 4. Thomas à Kemp. lib. 3. de Imitat. Christi cap. 56. Matth. 27. 42. Augustin. Tract. 37. in Ioan. Matt. 24, 13.

Noli extollere te in faciendo opere tuo. Eccli. 10.



Mobilis oblectant quid te prœconia vulgi?
In solum referas teque CRVCEMQ. *Deum.*

CAPVT IX.

In CRVCEM *ferente, non ferenda inanis gloria.*

Noli extollere te in faciendo opere tuo. *Eccli.* 10,29.

Mobilis oblectant quid te præconia vulgi?
In solum referas téque CRVCEM*que Deum.*



CHRISTI sermonibus animosior reddita, alacriter pergebat Staurophila cœptum CRVCIS iter. At noua mox procella, noua ei oborta tentatio. Cum enim celebriorem quemdam obambularet vicum, in eoque magna esset populi frequentia; cœpit spectantium vocibus celebrari, quòd piè scilicet & generosè CRVCEM baiularet. Quamuis autem non eo fine (vt pridem) hæc faceret; non poterat tamen non delectari tam speciosâ sui commendatione, & publicâ famâ. Quare idemtidem eam auscultabat, & plurimùm sibiipsi placebat.

Videns

Videns verò id Christus, non cessauit eam monere: Caue, inquiens, Staurophila, caue præcipitium, periculosissima enim ab amore laudis tibi immineat tentatio. Et quid est, quæso, quòd aliorum suffragio tibi places de te, cùm hoc ipso multùm mihi displiceas? *Instat* sanè *aduersarius veræ beatitudinis, vbique spargens in laqueis, Euge, euge: vt dum auidè colligis, incautè capiaris.* Et vide, precor, quid agas: *virtutum* enim *germina* non rarò *plantari solent ex inani gloriâ, tamquam ex cloacâ & cœno irrigari, & ex ostentatione circumfodi, atque ex laudibus humanis stercorari, quæ tamen translata postmodum in desertum solum, omnisq; inanis gloriæ cœnulentâ aquâ vacuum, confestim exsiccata sunt. Arbor, quò altiùs ad superiora surrexerit, eò ventorum vim vehementiùs sentit: quò quis maioribus operibus attollitur, eò ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur.* Quare valdè perfectorum est, sic ostenso opere Auctoris gloriam quærere, vt de illibatâ laude nesciant priuatâ exultatione gaudere.

Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 36.

Climach. Grad. 2.

Greg. lib. 22. Moral. cap. 5.

Mirari satis nequeo, aiebat Staurophila, quâ rimâ hæc pestis iterùm irrepserit. *Ego* enim nunc *gloriam meam non quæro*, & ausim cum Prophetâ dicere: *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi; Euge, euge. Fateor* tamen *nonnihil delectari me laudibus, & gau-*

Ioan. 8, 50.

Pſal. 69, 4. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 37.

gaudium boni mei augere videtur suffragatio oris alieni; & bona quæ mihi in me placent, iucundiora mihi sunt, cùm & alteri placent. Ita quotidiana fornax nostra, est humana lingua. Tu autem *nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facilè colligo, quàm sim ab istâ peste mundatior: & multùm timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non.*

Reliquiæ hæ sunt, inquiebat Christus, præteriti morbi: quia enim vanam gloriam auidè sectata es, iam etiam, licet inuita, eadem infestaris. *Piâ* siquidem *conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima, dispensatoriâ tentatione pulsetur: quatenus infirmata, quid sit inueniat, & præsumptionis propriæ fastum deponat.* Atque ex hoc capite *nescit laudem, cùm suppetit, fugere; qui ad hanc didicit, cùm deesset, anhelare.* * *Sæpè enim bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat: quæ, quamuis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Cuius delectatione dum mens benè operantis resoluitur, ab omni intentione intimi vigoris dissipatur.* Tetigisti Domine vlcus meum, & agnosco iam insidias latentis inimici. Dum enim purâ intentione Deo placere studeo, *eidem intentioni furtim se, nescio quomodo, intentio humanæ laudis interserit. Quod cùm iam post-*

Greg. 2. Moral. cap. 26.

Greg. in Pastor. parte 2. c. 9.

*Idem alib.

Greg. 35. Moral. cap. 16.

mo-

modum tardeq; discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic enim sapit intentionem nostram dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè sibi iam subiuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu dum furtim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur. Vnde plerumque contingit, vt refectionem corporis, quam salutis causâ cœpimus, causâ voluptatis expleamus.

Morbum iam ipsa tuum, aiebat Christus, probè nosti, de remedio iam cogitandum. Quis illud meliùs præscribat, aiebat Staurophila, quàm tu, Domine, verus animarum nostrarum Medicus? Antidotum proinde aduersus hoc malum famulæ tuæ largiri non graueris. Cui Christus: Accipe quod iam olim præscripsi: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, non de corpore loquens, sed vt etiam vnanimis tuus, frater tuus, quod facis nesciat, ne dum hîc mercedem quæris iactantiæ, illic remunerationis fructũ amittas. Quinimò* si *possibile est, teipsum quoque ignorant quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio.*

Matth. 6, 3 Ambros. 1. Offic. c. 30.

Chrysost. 19. in Matth.

Sed quid opus, inquiebat Staurophila, bona opera tanto studio celari, cùm tuo ore dictum legamus: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est?*

Matth. 5, 16.

Rectè,

Rectè, inquiebat Christus, videri possunt bona opera vt glorificetur Pater cælestis, cui competit omnis honor & gloria : nequaquam verò vt glorificetur cinis & puluis, cui confusio debetur faciei. *Stultitiæ* enim *genus est, vt, cùm alij debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum : cùm non sit tuum quod es, quomodo tuum erit quod habes?* Valerian. Episcopus Hom. 11. circa fin.

Non diffiteor, aiebat Staurophila, hæc ita esse, tua enim, ô Domine, sum ego, & *omnia opera nostra operatus es nobis*, sine te enim nihil possumus. Nam *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec* nos, *nisi in* te *manserimus*. Sed pergat, quæso, Dominus meus inanis gloriæ depingere vanitatem, vt eam magis declinare possim. Ipsum nomen, aiebat Christus, satis se prodit. Cur enim dicitur vana gloria, nisi quia picta & vmbratilis est, omnisque substantiæ vacua? Quis sapiens sceptro aut diademate in chartâ delineato, ceu vero gaudeat? Quis sepulchrum dealbatum, intus plenum ossibus mortuorum, thesaurum æstimet pretiosum? *Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.* Cuiuscumque coloris sit corpus, vmbræ semper atræ sunt & obscuræ; quantumuis illustria sint opera, Isaiæ 26, 12. Ioan. 15, 4. Eccli. 34, 2.

co-

eorumdem tamen pediſſequa, vana gloria ſcilicet, deformis eſt & inanis. Et vmbræ nunc maiores nunc minores ſunt, non pro corporis quantitate, ſed externi luminis acceſſu vel receſſu: ita qui ex hominum ore toti pendent, aliquando mægni & excellentes, ſubinde exigui & nullius momenti habebuntur; prout aliorum tulerint opiniones. Atque ita *ſtultus ſicut luna mutatur.* Eccli. 27, 12.

Quemadmodum enim *ſplendet ſine feruore, & modò plena, modò exigua, modò nulla videtur: mutuatum ſiquidem lumen numquam in eodem ſtatu permanet, ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet: ſic qui conſcientias ſuas in alienis labijs poſuerunt, modò magni, modò parui ſunt, modò nulli, ſecundùm quod adulantium linguis vel vituperare vel laudare placuerit.* Et quid amplius dicam? Filia, *qui te beatam dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorũ diſſipant.* * *Vt enim pueri ludentes ex fœno coronas imponunt, coronatum autem ſæpenumerò eius rei ignarum poſt tergum irridentes: ita & nunc qui te in faciem prædicant, apud ſeipſos clanculum ſubſannant, atque ita quid aliud fit, quàm quod* homines *ſibi inuicem fœnum coronantes imponant? & vtinam nil aliud quàm fœnum! Nunc autem multo etiam nocumento plena eſt hæc corona. nam om-*

Bernard. Serm. de Natiuit. S. Ioan. Bapt.

Iſaiæ 3, 12.

*Chryſoſt. Homil. 17. in Epiſt. ad Rom.

omnia rectè facta perdit. Quasi enim *latrunculus* quidam *est, appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis, educto gladio, gradientium vita trucidetur. Cumq; propositæ vtilitatis intentio ad studia priuata deducitur, horrendo modo vnum idemq; opus culpa peragit, quod virtus inchoauit.* Greg. l. 9. Moral. cap. 13.

Agnosco, Domine, inquiebat Stauro-phila, agnosco satis, quantum damni inferat inanis gloria. Vere enim illa *est laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurorum insidiæ, perfidiæ alumna, superbiæ præcursor, in portu naufragium, in areâ formica. Quæ etsi tenuis est, laboribus tamen omnibus & fructibus insidiatur.* Sed quis poterit effugere subtilissimum hunc astuti serpentis sibilum, occultissimè sese actionibus nostris, & maximè bonis insinuantem? *Prætende alas tuas*, Domine, *& fugiam sub eas, gloria mea tu esto, propter te amer, & verbum tuum timeatur in me. Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. Cùm autem non peccator laudatur in desideriis animæ suæ, nec qui iniqua gerit, benedicitur; sed laudatur homo propter aliquod bonum quod dedisti ei: at ille plus gaudet sibi laudari se, quàm ipsum do-* Climach. Grad. 21. Aug. l. 10. Conf. c. 36. Psal. 10, 3.

num habere vnde laudatur, etiam iſte, ſi vituperante, laudatur. & melior iam ille qui laudauit, quàm iſte qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quàm Dei.



CAPVT X.

Quâ intentione CRVX *ferenda, & primò ad satisfaciendum pro peccatis, & vitandas inferni pœnas.*

A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 1. *Cor.* 11, 32.

CRVX *æterna stygis, breuis est tua Christe, sed illam*
Vt fugiam, huic humeros supposuisse iuuat.



DOCTA iam erat Staurophila, nec ex inani gloriâ CRVCEM deferre, nec cum illâ: vanitatem enim intendere, omni merito spoliat; subrepentem à latere sponte admittere, etsi boni operis valorem non tollat, minuit tamen, & non modicâ labe inquinat. Bonâ ergo opus esse intentione videns, percunctari cœpit, num ampliùs aliquid spectandum, quàm vt intentio mala non esset, aut ne malum haberet admixtum. Cui Christus ita respondit: Certi sunt in bonâ intentione gradus, atque vt alius alio sublimior, ita & melior: & permagni refert, quò tuos conatus refe-

A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 1. *Cor.* 11, 32.



CRVX *æterna Stygis, breuis est tua* CHRISTE, *sed alta*
Vt fugiam, huic humeros supposuisse iuuat.

ras. Nam & illi qui CRVCEM etiam non malè ferunt, non vnum habent præfitutum scopum, & vide illud iam antè adumbratum. Passionis meæ tempore quatuor eramus Cruciferi; diuersâ tamen intentione impositum illud onus ferentes. Duo enim latrones, qui mecum educebantur, hac causâ eam gestabant, vt digna factis reciperent, & pro delictis suis, iuxta Iudicis sententiam, facerent satis. Simon Cyrenæus coactus, & pretio conductus, baiulabat CRVCEM post me, vt mercedem aceiperet. Ego verò in gestandâ CRVCE aliud non spectabam, quàm vt æterno Patri placerem, & eius morem gererem voluntati.

Triplicem ergo hîc vides intentionem. Prima seruorum est, qui formidine pœnæ, ne in æternum scilicet puniantur, CRVCI se submittunt. Altera mercenariorum, qui inclinant se ad ferendam CRVCEM propter retributionem. Tertia est filiorum, qui vt pœnam non timent; ita mercedem non exspectant, sed ex puro amore Deo per CRVCEM placere nituntur.

Animaduertis hîc tres grādus, Timorem, Spem, Charitatē quorū distinctionem pauceis accipe: *Qui initiatur à timore*, CRVCEM *sustinet patienter*; *qui proficit in spe*, *portat libenter*; *qui verò consummatur in charitate*, *am-* Bernard. Serm. 1. in Fest. S. Andreæ.

amplectitur iam ardenter. Solus iste est qui dicere potest: Quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Longè est vox ista ab eo, qui sustinet quidem, sed optaret omnino, si posset, non venisse in hanc horam. Is qui timore coërcetur patiens est: qui ratione spei ducitur, benevolus est: sed *nisi etiam fuerit fervens spiritu, facilè labi potest. Porrò quæ per spiritum diffunditur charitas, & patiens & benigna est, & quod est amplius, numquam excidit. Fortis* enim *est vt mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Dicit patientia, Sic oportet fieri, quia timore vrgetur. Dicit voluntas bona, Sic expedit, & sic agendum est, quia spei attrahitur ratione. Charitas verò, quia inflammatur à spiritu, Neque sic oportet, dicit, neque sic expedit: sed sic volo, inquit, sic cupio vehementer.*

Triplicem, aiebat Staurophila, aperiri video VIAM; sed quænam mihi congruentior, prorsus ignoro. Cùm Christus: Ordine vt procedas, suadeo exordiri à timore: *Initium* enim *sapientiæ timor Domini.* & per hunc paulatim ascenditur ad gradus superiores. Quî porrò id faciam? aiebat Staurophila. Principio, respondebat Christus, absque vllâ hæsitatione tibi persuadebis, optimo iure tibi impositam CRVCEM, quam tuis sceleribus non semel sis promerita. Quid enim indignum

Psal. 110, 10.

dignum fiat illi, quæ toties diuinam læsit maiestatem? & an non æquissimum, vt

Aequo animo pœnam, qui meruêre, ferant? Ouid.

Filij Iacob in magnâ angustiâ coram Iosepho constituti, veritatem hanc serò serioque agnouerunt. *Meritò hæc patimur*, aiebant, *quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos tribulatio.* Hæc vera caussa huius afflictionis. Quare in omni CRVCE, in omni tribulatione id tibi sit in ore, magis autem in corde: Meritò hæc patior, quia peccaui; & quod ait Propheta: *Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi.* Gen.42,21 Ierem. 4, 18.

Cui Staurophila: Ita est, Domine, *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei*, & iustè CRVCEM patior, nam digna factis recipio: neque oblita sum quid generosa olim dixerit Iudith: *Non vlciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.* Mich.7,9. Iud.8,26. Ideoque immeritò queruntur filij Adam, & ponunt os suum in cælum, Deo adscribentes sæuitiam, dum eorum punit malitiam. Noui ego, Domine,

Quã falsò accusent Superos, stultiq; querãtur Chrysipp.

Mortales! etenim nostrorum causa malorum
Ipsi nos sumus; & sua quemque vecordia lædit.

Benè hoc quidem, aiebat Christus, sed præterea & illud latere te nolo, non tantùm iniuriam non esse quòd homo crucietur, sed maximum etiam indulgentissimi Patris beneficium, *qui corruptelam filiorum non patitur longiùs procedere, sed plagis & verberibus emendat. Ex quo intelligant Deo se curæ esse, quibus, quoniam peccauerunt, irascatur. Ad tempus* enim *Deus emendat, ne in æternum damnet. Elige tibi vnum ex duobus, temporalem dolorem, aut æternum.* Nam *illi meritò lugendi sunt, qui cùm in vitâ peccent, in hac vitâ non puniuntur.* In labore hominum non sunt, aiebat Psalmista, *& cum hominibus non flagellabuntur:* cum quibus ergo, nisi cum dæmonibus?

Lactant. lib. 5. de Iustitiâ cap. 23.

August in Psal. 93.

Anselm. in 1. Corinth. cap. 11.

Psal. 72, 5.

Vt video, aiebat Staurophila, olim cùm omnes vitæ nostræ periodos vno aspectu cernemus, fatebimur sanè quod aliquando dixit Themistocles: Perieramus, ô pueri, nisi perijssemus; cruciaremur, nisi CRVCEM tulissemus. Ita est Staurophila, aiebat Christus: sed tu iam monita culpam attende, vt leuiter pœnam feras. *Tunc enim patienter illata flagella tolerantur, cùm in secreto mentis ad*

Laurent. Iustin. in Lig. vit. de Patient. c. 5

ad mala perpetrata, recurritur, quia per hoc quòd culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna leuigatur. Interloquebatur hîc Staurophila: Quid verò de ijs censendum, Domine, qui pœnas hîc fugiunt, quantumuis non modicas committerint culpas, sed pro ijs dicunt se in Purgatorio luituros? Hi sanè (inquiebat Christus) & se decipiunt, & parui se ostendunt iudicij. In hac enim vitâ leuissimis afflictionibus pro grauissimis criminibus potest homo satisfacere, plurimumque mereri. In Purgatorio autem sterilissima est patientia, vbi summis cruciatibus parum satisfacias, & nihil mereariş. Afflictio ibi maxima, satisfactio exigua, merita nulla. Hîc verò afflictio modica, satisfactio maxima, merita plurima. Ecquis Mercator eo tempore merces emat cùm viliores sunt, & pretia maiora, & non potiùs tũc cùm gratis ferè habentur? Sed hæc est stultitia amatorum sui, qui nihil attendunt nisi præsentia, futurorum securi. Verùm cùm pauci admodum sint, qui in peccatum lethale non inciderint; quo, precor, titulo CRVCEM excutient, qui vel vnico fuerint contaminati? *Si animo conceperis*, Staurophila, *quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi; nec aliud remedium constitutum esse post Baptismum, quàm Pœnitentiæ solatium:* Ambros. ad Virg. lapsam c. 8

quantamuis afflictionem, quantumuis laborem ſubire eris contenta, dummodò ab æternalibus pœnis libereris.

Ergóne Domine, aiebat Staurophila, ad gehennam me mittis, vt inde diſcam patientiam? Omnino, inquiebat Chriſtus; *non enim ſinet in gehennam incidere gehennæ recordatio.* Atque vtinam homines *deſcendant in infernum viuentes,* ad damnatorum pœnas conſiderandas, ne poſteà deſcendant morientes! Si enim cogites horrendos illos cruciatus, æternumque duraturas flammas, teterrimum carcerem, ſæuientem rogum, damnatorum gemitus, lamenta & vlulatus, nihil tibi iſtorum comparatione graue videbitur. Suſpirans Staurophila, exclamabat: Hîc vre, hîc ſeca, hîc puni Domine, modò in æternum parcas. Audire enim videor miſeras illas & perpetuò infelices animas idemtidem mihi inclamantes:

Chryſoſt. Hom. 31. in Epiſt. ad Rom. ita exponũt Bernard. & Aiguanus Pſal. 54.

Ouid. 5. Triſt.

Elige noſtrorum minimum minimumq; dolorum,
Iſto, quo quereris, grandius illud erit.

CAPVT

CAPVT XI.

Spe mercedis CRVX *toleranda.*

Proposito sibi gaudio sustinuit CRVCEM. *Hebr.* 12, 2.

Aeternæ tribuit quæ grata stipendia vitæ,
Et labor & studium militet omne CRVCI.



HAC consideratione non segniter Staurophila timoris semitam perambulabat, animo valdè compuncta, & creberrimè ingemiscens, quòd suis sceleribus gehennæ igni se fecisset obnoxiam. Hoc tamen nomine non parum sibi gratulabatur, quòd mediocri hac CRVCE grauissimos illos cruciatus liceret redimere. Cùm autem Christi iudicio satis in hac palæstrâ desudasset, volens ad altiora eam euehere Christus, Satis, inquit, superque Staurophila hanc triuisti VIAM, mœroris ac formidinis plenam; amœniora restant itinera, non sine voluptate & gaudio decurrenda. Timore relicto deinceps respicies in remunerationem. *Illuminata enim mens delectationibus meritorum, cuncta libenter patitur: nihilq; con-* Laurent. Iustin. Lig. vit. de Patientiâ c. 6.

Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit CRVCĒ. Hebr. 12.



Æternę tribuit quę grata ſtipendia vitę,
Et labor et ſtudium militet omne CRVCI.

condignum arbitratur, quod patitur, consideratione donorum. Læta efficitur, & exponit se ad omnia, vt quod intuetur possideat. Nutriunt enim præmiorum exempla patientiam: nec quisquam est qui possit ad culmen perfectionis ascendere, quando irremuneratum cernitur, quod conscientiâ teste laudatur. Proinde vt meos ad tolerandas accenderem passiones, ante ipsorum oculos volui transfigurari, vt ex recordatione gloriæ libenter CRVX *portaretur. Et sicut in passione dignatus sum ab omnibus intueri; ita & in corporis* mei *glorificatione & ascensione passus sum ab hominibus palpari, & videri, vt alacres ad patientiam fierent, cùm non dubitarent de promissione. Tantò namque lætior fit miles in periculo, quantò certiùs intuetur, quid pro mercede promittatur. Omne enim opus leue fieri solet, cùm eius præmium cogitatur; & spes præmij, solatium fit laboris; atque tantum proficit animus in virtute patientiæ, quantum certior efficitur de coronâ victoriæ.*

Hilarescebat animo hæc audiens Staurophila, & *Lætata sum*, inquiebat, *in his quæ dicta sunt mihi*; fiat mihi secundùm verbum tuũ. Lætifica animam ancillæ tuæ, & dirige pedes meos in VIAM pacis. Lætare filia, inquiebat Christus, & exulta in spe gloriæ Dei: *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis* ad

Ps. 121, 1.

Rom. 8, 18.

ad futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis. Si tantum pro denario diurno viliq; ſtipendio laboretur, quantum ab opificibus, agricolis, alijſq; paſſim fieri tu ipſa cernis, quid non deceat pro præmio vitæ æternæ? Si *tanti vitreum, quanti verum margaritum? quis non libentiſsimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo?* Et crede, Staurophila, *minori labore margaritum regni cæleſtis emi poteſt, quàm à mortalibus pleriſque hereditas caſſa expetitur. Si nautis minaces illi pelagi fluctus, ſi tempeſtates atque hiemes agricolis, ſi vulnera cædeſq; militibus, ſi grauiſſimi illi ictus plagæq; pugilibus leues videntur atque tolerabiles propter ſpem temporalium ac pereuntium commodorum; multò magis cùm cælum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona atque perpetua, nihil ex præſentibus his aduerſitatibus ſentietur.*

Tertull. in lib. ad Martyres c. 4.

Hieron. Epiſt. 2. ad Nepot. Chryſoſt. Hom. 24. in Matth.

Dulcis ſanè & efficax hic ſtimulus, aiebat Staurophila, ad CRVCEM alacriter portandam. Hac proinde conſideratione, inquiebat Chriſtus, Sancti quique ad CRVCEM & tribulationes ſeſe armauerunt. Hac *Moyſes grandior factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti.* Cur autem?

Hebr. 11, 24.

tem? niſi quia aſpiciebat in remunerationem. Cur, quæſo, S. Stephano lapides torrentis adeò dulces fuerunt, *vt eorum ictus veluti ſuauem quemdam rorem exciperet?* nimirum quia intendens in cælum vidit gloriam Dei; *nam qui futuræ vitæ præmia diligenter excogitat, præſentis vitæ mala æquanimiter portat.* Quid fecit Hebræos *opprobriis & tribulationibus ſpectaculum factos, rapinam bonorum* ſuorum *cum gaudio ſuſcipere*, niſi quòd *cognoſcerent meliorem & manentem ſe habere ſubſtantiam?* Sed & ego, filia, *propoſito* mihi *gaudio ſuſtinui* CRVCEM *confuſione contemptâ.* Et *quis non contemnat dulcedinem ſæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?*

Nyſſen. l. de Beatit. Iſidor. Heb. 10, 33 Hebr. 12, 2 Auguſt. in Pſal. 68.

Acuebant hæc deſiderium & ſpem Staurophilæ, iamque magnâ auiditate ad illa cæleſtis patriæ ſuſpirabat tabernacula: &, *Deſidero* (inquit) mi Domine IESV *Ieruſalem* cæleſtem. *quantò autem impatientiùs deſidero ipſam, tantò patientiùs ſuſtinebo omnia propter ipſam.* Linteum enim iſtud ampliſſimæ remunerationis omnem ſudorem laboris, omnes lacrymas doloris mihi abſtergit. O retributio æterna, magnes animæ meæ, quàm validè trahis me poſt te! inardeſcit animus frui te, *iamque illic cupit aſſiſtere, vbi ſperat ſine fine gaudere.*

Auguſt. Epiſt. 32. ad Paulin. Gregor. Hom. 37. in Euang.

Euge, euge Staurophila, inquiebat Chriſtus:

Bernard. Serm. 17. in Psal. Qui habit.

ſtus: *prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in ſpe gloriæ magni Dei: non ſolùm autem, ſed (vt dicam expreſsiùs) gloriemur in tribulatione, in eâ ſiquidem ſpes gloriæ eſt.* Coniuncta enim ſunt CRVX & regnum: nec hoc obtinebit, qui illam non tulerit. Agnouit hoc dilectus diſcipulus meus, cùm ita ſcripſit:

Apoc. 1, 9. *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno & patientiâ in Chriſto* IESV. Quid enim hoc eſt? niſi quòd qui regni conſortium deſiderat, neceſſariò debeat eſſe particeps tribulationis & patientiæ, quaſi vnum ab altero ſeparari non poſſit. Et

Luc. 24, 26 *nónne oportebat* me *pati, & ita intrare in gloriam* meam? *Quid* iam *dicis*, ô Staurophila?

Chryſoſt. Hom. 2. in cap. 1. ad Coloſſ. *ad regnum* vocata es, *& ad regnum filij* Dei; quòd *ſi ſingulis diebus vel in mille mortes inſiliendum fuiſſet, an non omnia ferre oportebat? At qui principatus gratiâ nihil non faceres, cùm verò conſors futura ſis regni vnigeniti Dei, non obijcies te vel mille gladijs? non inſilies in ignem? & iſtud quidem nondum graue quidquam fuerit. Si ergo vis beatam vitam poſſidere, præſentem vitam contemne. Si vis exaltari in cælo, humilia te in mundo. Si vis regnare mecum, portâ* CRVCEM *mecum. Soli enim ſerui* CRVCIS *inueniunt* VIAM BEATITVDINIS *& veræ lucis.*

Thom. à Kemp. l. 3. cap. 56.

Subiunxit Staurophila: Amodò dulcis mihi

mihi erit CRVX, ſuauis labor, grata tribulatio: his enim nummis, exiguis licet, regnum cælorum venale eſt. *Et quantulum pretium damus? quodammodò vnam ſiliquam ad accipiendos theſauros ſempiternos: ſiliquam laboris, ad requiem incredibilem.* Sed, ô Deus meus! quando veniet *gaudium meum, quod deſidero! quando potabis me torrente voluptatis tuæ quam ſitio? Sint interim mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi: Ecce Deus tuus. donec audiat anima mea: Ecce ſponſus tuus. Paſce interim me ſingultibus meis, refocilla me doloribus meis. Renuit enim conſolari anima mea in hac vitâ, vt digna habeatur, Domine, conſolationibus æternis: quia iuſtum eſt, vt amittat te, quicumque in aliquo alio magis conſolari eligit, quàm in te. Et obſecro te, ſumma veritas, per te, vt tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! hæc eſt enim illa beatitudo quam exſpectamus, pro quâ tibi, Domine, continuè militamus: pro quâ tibi mortificamur totâ die, vt in tuâ vitâ tibi viuamus.*

Auguſt. in Pſal. 93.

Auguſt. in Meditat. cap. 41.

Auguſt. in Soliloq. cap. 22.

Pſal. 73, 6.

Pſal. 30, 20.

Dilectus meus mihi, et ego illi. *Cant. 2, 16.*



Non pœnas fugio, nec pro CRVCE *præmia pósco;*
Sat mihi, dilecto posse placere meo.

CAPVT XII.

Christi amore CRVX *ferenda.*

Dilectus meus mihi, & ego illi.
Cant. 2, 16.

Non pœnas fugio, nec pro CRVCE *præmia posco,*
Sat mihi Dilecto posse placere meo.



BAT hoc modo exultans & gaudens Staurophila, magnaq; animi voluptate semitam spei percurrebat, nec longè iam aberat à viâ charitatis; de quâ Christus ita loqui incepit: Excellentiorem etiam VIAM tibi demonstrabo, filia charissima. Timore aut præmio ad CRVCIS amplexum adduci bonum quidem, sed vtroque melius amore ferri; hoc siquidem filiorum est, quorum tota voluntas Patri in omnibus placere: priora ista seruorum aut mercenariorum sunt.

Primum igitur hoc mente sedeat, Patrem esse qui CRVCEM imposuit: ambula proinde confidenter, *& certa esto, quod te noluerit pati, non patieris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis.* Augustin. Tract. 7. in Ioannem.

Hîc Staurophila: Labia tua, clementissime Domine, velut lilia distillantia myrrham primam. Patrem enim te mihi deprædicas, sed corripientem, flagellantem & excruciantem, quæ parum amoris, severitatis autem habent plurimum. Ego verò te credidi *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.*

2. Corinth. 1,3.

Erras verò, & largiter, Staurophila, inquiebat Christus, si consolationem à CRVCE & tribulatione abesse putas: necdum didicisti *per patientiam & consolationem scripturarum spem habere?* Non legisti quòd Apostolus Hebræis scribat: *Obliti estis consolationis quæ vobis tamquam filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Itáne omnem?* aiebat Staurophila: *Omnem omnino,* respondebat Christus, *& nullus exceptus, nullus sine flagello. Vis audire quem omnem? etiam ego vnicus sine peccato, non tamen sine flagello. Quòd si vnicum sine peccato flagellauit, & pro omnibus tradidit eum; quomodo debent flagellari qui fecerunt quare flagellentur? Sit itaque manus paterna super te; & si filia bona es, noli repellere disciplinam Patris tui. Det disciplinam, dum*

Rom. 15,4

Hebr. 12,5.

August. in Psalm. 31. Conc. 2.

Idem in Ps. 122.

Idem in Psal. 88. Conc. 2. in med.

dum non auferat misericordiam. Cædat contumacem, dum tamen reddat hereditatem. Tu si promissa Patris benè agnouisti, non timeas flagellari, sed exheredari. Peccatrix filia *dedignabitur flagellari, cùm sine peccato videat vnicum flagellatum?* Atquî nónne Pater cæleſtis in monte hoc me elogio decorauit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui?* Nota, DILECTVS, Staurophila, & tamen flagellatus, & tamen Crucifixus; vt videas CRVCEM etiam chariſſimis à Deo deſtinari. Sed & hinc collige CRVCIS dignitatem. CRVX enim, diſciplina, flagellum, tribulatio, veri characteres, & notæ ſunt filiorum Dei: vt omnino ſpurij reputentur, qui CRVCIS ſunt expertes. Adi rurſus, & audi Paulum. *In diſciplinâ*, inquit, *perſeuerate. Tamquam filijs vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis.* Filij ſi peccent, à parentibus virgâ cæduntur, ſerui domo exturbantur. Flagellum ergo ſignum filij.

Matth. 17, 5.

Hebr. 12, 7.

Vtinam, inquiebat Staurophila, fruar CRVCE tuâ, vt in numero filiarum tuarum merear computari! vtinam non excludar à tribulatione, ne ſimul ab hereditate! *Sim*, quæſo, de ijs *qui inundationem maris quaſi lac ſugunt. Inundatio enim maris, abundantia tri-*

Deut. 33, 19.

Stephan. Eduensis tom.6 Biblioth. Pat. *bulationis; quæ tunc fugitur, cùm dulcis reputatur. Lac nutrimentum paruulorum, tribulatio pabulum sit electorum.*

Sic age Staurophila, inquiebat Christus, & solo deinceps amore CRVCEM feras. *Verus* Augustin. 13. Confess. enim *amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem: quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij amaritudo. Qui amat, non laborat: omnis enim labor amantibus contrarius est.* Vnde mi- Bernard. de Præcept. & dispensat. hi *seruiens in charitate illâ quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus vrget. Nihil est, nihil, inquam, tam horridum tamq; tremendum, quod hi, qui vel morbo aut pœnis discruciantur non superent, si diuino sint amore incensi; ita vt neque ignis neque ferrum, neque inopia neque languor aliquis, neque mors neque aliud quidpiam huiusmodi graue aut molestum appareat ei, qui huius sit erga Deum amorem consecutus.* vnde & Chrysost. Hom. de Patient. Paulus dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu* Rom. 8, 35.

Do-

Domino nostro. Vnde verò, quærebat Staurophila, amoris hunc fomitem accendam? Cui Christus. Ex me discere licet: solus enim amor me de cælis in terram attraxit, amor in præsepio reclinauit, amor ad omnes adegit labores. Propter nimiam charitatem quâ dilexi vos, humiliaui memetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem CRVCIS. Poteram sanè vos redimere absque illâ: nolui tamen, vt sic amorem meum patefacerem, & esset copiosa omnino redemptio. Et nunc quid supereſt, nisi vt amantem, & sic amantem redames?

Id verò, inquiebat Staurophila, perquam cupio: sed, quæso, quo pacto id faciam Domine? Suscipe, inquiebat Christus, CRVCEM vndecumque, & à quocumque tibi impositam, à iustis siue ab iniustis, siue à bonis siue à nequam, siue ab alienis siue à proximis, suscipe, inquam, hilari animo velut de paternâ Dei manu; nec aliud quidquam cogites, nisi hanc esse Dei voluntatem, vt CRVCEM feras, cui ex amore perlibenter velis respondere. Magnæ, inquiebat Staurophila, id fuerit perfectionis, nec adeò facile. Homines enim cùm intueor me affligẽtes & diuexantes, idq; malâ suâ in me voluntate, vix possum concipere id eos diuino facere instinctu: vel summo isti Numini placere, vt ita me exerceant.

Ad me respice, filia, aiebat Christus. Cùm tradendus essem in manus peccatorum, voluit Petrus exempto gladio velut strenuus miles Dominum suum defendere, sed illi dixi: *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Non attendi ego, amarissimum hunc calicem Iscariotis proditione, Iudæorum accusationibus, insanis populi proclamationibus fuisse permixtum. Non latebat me, quantum absynthij, fellis & aloës, Annas, Caiphas, Pilatus, Herodes, Scribæ & Pharisæi, pessimi pharmacopæi huic pharmaco incoxissent, sed id tantùm considerabam, hunc calicem à Patre mihi propinari, quicumque illum tandem, & quibuscumque venenis temperassent. Nec poterat esse ingratum quod à Patre, alienâ licet manu, offerebatur; & ideò alacriter, *sicut mandatum dederat mihi Pater*, sic faciebam. Dulcissimus enim mihi erat *cibus, facere voluntatem Patris mei.* Hoc scilicet filiorum est, Staurophila, non metu pœnæ, non spe mercedis, sed puro amore ideò solùm CRVCEM ferre, ideò calicem potare, quia sic placitum est Patri.

Ioan. 18, 11.

Ioan. 14, 31.

Ioan. 4, 34.

Respondit Staurophila: O Domine, quia tu calicem passionis bibisti, & vsque ad fundum exinanisti, & ego ancilla tua *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

Ps. 115, 4.

Hoc

Hoc deinceps *volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, vt in me, & de me, ac per me non mea sed tua fiat voluntas. Non cogitem quid amarum, quid dulce, quid onerosum, vel leue, quid asperum vel suaue, sed cum impetu & desiderio feruenti, & cum anxietate curem perficere quæ tuæ sunt beneplacita voluntati: hoc solum mihi iucundum, hoc mihi sit suaue, hoc solum mihi sit leue, hoc delectabile & amabile.* Bonauent. Stim.diuin. amor.p.3. c.17.

Insiste, inquiebat Christus, hanc semitam, & percurre diligenter: plurimos enim ad summam perfectionem perduxit. *Quædam* enim *vitæ sanctissimæ virgo, cuidam percunctanti quomodo ad perfectionem pertigisset, dixit: Omnem aduersitatem æquanimiter de manu Domini suscepi. Et quisquis me aliquâ iniuriâ molestiáve affecit, huic ego speciale beneficium rependere curaui, quod minimè fecissem, nisi ab eo læsa fuissem. Nulli, nisi Deo, grauamina mea questa sum: vnde & euestigiò consolationem ab eo accepi.* Alia quædam ad similem interrogationem, non dissimiliter respondit: *Numquam ita* se *doloribus & pressuris obrutam fuisse, quin maiores pro Dei amore perferre expeteret: indignam se illis ipsis tàm præclaris Dei donis iudicans.* Blos.in Mon.c.10. Blos.ibid.

Neque sanè in hoc aberrasse eam iudicauerim, aiebat Staurophila: *Nihil* enim Domine,

Thomas à Kemp. de Imit. Christi lib. 3. cap. 22.

mine, *amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ dispositionis tuæ. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plus eum consolari, magisq; placere, quàm omnia beneficia data, vel danda.*



CA-

CAPVT XIII.

In CRVCE orandum.

Tristatur quis in vobis? oret. *Iacobi* 5,13.

CRVX *arcus, neruus fiducia, vota sagittæ,*
Pennæ amor, at Deus est (iaculare) scopus.

VIDEBATVR iam satis circa intentionis directionem instructa Staurophila. Volens autem totam se Stauroſophiæ addicere, Domino dicebat: Aliúdne restat, benignissime Iesu, quod mihi in hac VIA discendum? Supersunt, inquiebat Christus, non leuia monita perfecto CRVCIS discipulo seruanda. Atque illud in primis, vt ex CRVCE arcum tibi fabrices, quo iaculis cælum cælique Dominum petas. Quid hoc sibi velit, inquiebat Staurophila, non satis capio, & intricatum mihi apparet ænigma.

Cui Christus: Orare nempe te docet in CRVCE & tribulatione. Quid enim sunt preces contriti & humiliati cordis, nisi sagittæ electæ, ex cordis pharetrâ in cælum vsque emissæ? An non dicit Scriptura: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec* Eccli. 35, 21.

Tristatur quis in vobis? oret. Iac. 5, 13.



CRVX arcus, neruus fiducia, vota sagittę,
Pennę amor, at Deus est (eiaculare) scopus.

nec aſpiciat Altiſſimus. Hæc iacula ſunt quæ feriunt atque adeò vulnerant cor Dei, & ad ipſum molles ſibi aditus parant. *Vulneraſti cor meum* (exclamat cæleſtis Sponſus) *ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Vide aûtem vt hîc non obſcurè ſagittandi tibi inſinuetur methodus. Solent enim ſagittarij, vt ſcopum attingant, oculorum alterum claudere, ne adhibito vtroque, in diuerſa oculorum acies rapiatur. Idipſum & tibi in oratione faciendum; claudendus quippe eſt alter oculus, ne humanarum rerum intuitu mens interpellata, huc illucque diuagetur, atque propoſito ſibi fine excidat. Alter autem, quo ſpectantur cæleſtia, aperiendus, quo vno duce & attingitur ſcopus, & vulneratur Sponſus. Cant. 4, 9.

Interpellabat hîc Staurophila, Cur, inquiens, Domine, CRVCEM baiulantem peculiariter iubes orare, cùm ea communis fidelium ſit exercitatio? Etiámne neſcis, inquiebat Chriſtus, orationem maximum eſſe CRVCIS ſubleuamen, & opportunum in tribulatione auxilium? An non legiſti à Deo hoc ipſum præſcriptum? *Inuoca me*, ait, *in die tribulationis; eruam te & honorificabis me.* Et: *Clamabit ad me, & exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Vſus eſt hoc præſidio Regius Vates, Pſal. 49, 15. Pſalm. 90, 15.

cuius

Ps.119,1. cuius hæ voces: *Ad Dominum cùm tribula-*
Psal.76, 3. *rer clamaui.*&: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis.* idemque de aliis ait:
Ps.106, 13. *Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.* Et frequentissima sunt in sacrâ Scripturâ exempla eorum qui in tribulatione preces fuderunt: id enim fecerunt Samson illusus à Philistæis, Susanna in periculo mortis, tres pueri in flammis, Daniel in lacu leonum, Ionas in ventre ceti, Petrus in mari, Apostoli in nauicula, Paulus & Silas in carcere. Denique & ego non solùm in horto, sed & in ipsâ
Hebr. 5,7. CRVCE *preces supplicationesq; cum clamore valido & lacrymis* Deo Patri *obtuli.* Ideoque & tu tantam habens impositam nubem testium, ad orationis præsidium frequenter recurre. Oratio enim in tribulatione Deum placat, & tribulatio ipsa orationem non parum iuuat.

Quàm velim, aiebat Staurophila, paulò expressiùs id intelligere? quomodo enim afflictio orationem adiuuat, cùm præ dolore aliud vix cogitare sinat? Passim enim conqueruntur ægroti & afflicti orandi sibi subtractam facultatem. Ad hæc sic Christus: Quò se quisque magis ad Deum conuertit, hoc minùs afflictionis meminit, neque enim permittit totum animum CRVCI attendere, qui

qui Deo, quantum quidem potest, conatur intendere. Iam verò quantum robur tribulatio addit orationi. *Sicut* enim *sagitta infixa cordi mouet ac impellit, vt remedium quærat; sic tribulatio dolorem adfert cordi, ac vrget, vt in re aliâ solatium requiratur, scilicet in cogitatione boni æterni. Aqua dum per plana & ampla spatia fertur, non in altum consurgit, sed latè sese quaquauersus expandit: cùm autem manu artificis eam colligentis & stringentis coacta fuerit in angustum, iam inde sollicitè omni telo velociùs se in excelsum iaculatur, petitq; supernam regionem: sic mens humana, dum otiosa & liberior, quàm expediat, degit, diffunditur quidem & latè diffluit; cùm autem asperiori rerum euentu, casuq; subito coërcente aduerso sollicitetur, iam agiliùs se extrudit, & intentas ac dilucidas orationes mittit in excelsum. In die ergo tribulationis tuæ Deum exquire, non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum: vt ad hoc Deus remoueat tribulationem, vt* secura *inhæreas Deo.*

Idiota de Verâ pœnit. §. 14.

Chrysost. Hom. 5. de Incomprehens. Dei nat. tom. 5.

Augustin. in Psal. 76.

Vt video, inquiebat Staurophila, non auxilium dumtaxat precibus CRVX confert; sed quamdam etiam ad Deum confugiendi imponit necessitatem. Non malè vidisti, aiebat Christus, huic enim fini tribulationes frequentissimè subseruiunt. Audistine aliquando, quâ ratione Absalom ad se accersierit

2. Reg. 14, 29.

rit Ioab? Vocauerat eum, submissis seruis secundò; *at ille nolebat venire*. Proinde curauit succendi segetes eius. *Surrexit itaque Ioab & venit ad Absalom. Postquam autem locutus est cum illo*, mediatorem se exhibuit apud Regem, & locutus est pro Absalom. Non secùs ego, si quos videro monenti mihi obstrepere, & semel iterumque vocatos non venire, hos immissâ tribulatione venire compello; at vbi venerint, iam mediatorem me pro eis apud Patrem interpono. Tales
Psal.15,4. & illi erant de quibus Psalmista: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, posteà acceleraue-*
Psal.82,17. *runt*. Et: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine*. Multi profectò sunt, qui Dei ne semel quidem recordarentur, nisi CRVX aliqua eos quodammodò adigeret: vnde miserentis Dei est, quòd eos affligi patiatur, vt ad ipsum confugiant. *Tale*
Chrysost. Hom.10. in Matth. *aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cùm paruulos suos viderint à se quidem sæpè discedere, æquæuorum autem lusibus detineri: præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati metu paruuli ad maternum sinum confugere festinent.*

Ex iis quæ audio, inquiebat Staurophila, non malè colligere videor, pessimum signum esse, in tribulatione ad Deum non conuerti, sed solito conuersari modo. Quis dubitet? in-

inquiebat Christus. Ex effectu quem tribulatio in vnoquoque operatur, facilè animæ eius status agnoscitur. *Sicut enim plenum granum, mox vt leuiter percussum fuerit, de palea suâ exilit foras; si autem subtile fuerit, tardiùs egreditur; quòd si vacuum fuerit, numquam egreditur, sed illic conteritur cum paleâ suâ, & ita cum paleis foras iactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in paleâ. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medullam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modicè infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum. Qui autem infidelis est & vacuus, quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de paleâ non egreditur, sic ille de carnalibus rebus & impedimentis mundialibus numquam egreditur, nec transit ad Deum, sed illic in malis constitutus conteritur, vt cum infidelibus, quasi cum paleis foras proïciatur.* Chrysost. Hom. 3. in Matth. Oper. imperf.

Pulcherrima hæc comparatio, aiebat Staurophila. sed oro te, quando oratio Crucigeræ adeò necessaria, quid potissimùm mihi precandum censeas? Hoc vel maximè, aiebat Christus, vt si ipsam CRVCEM deprecaris, aut mitigari nonnihil petas, non alio id facias modo, quàm illo, quem in Oliueti

horto verbo & exemplo docui, vt scilicet dicas: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Nónne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Fiat Domine voluntas tua. &: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Resignato enim, & in vtrumque parato oportet esse animo, qui CRVCIS fructus vberrimos velit decerpere. Deinde *ipsas tribulationes ac pœnas tuas omnes, tam paruas quàm magnas, passioni & cruciatibus meis coniunctas vnitasq; deuotâ mente offer Deo in laudem æternam: sic enim erunt inæstimabilis meriti, & summè Deo placebunt.*

Matth. 26, 39.

Psal. 61, 2.

1. Machab 3, 60.

Blos. in Spec. spirit. cap. 8.



CA-

CAPVT XIV.

Gaudendum in CRVCE.

Communicantes Christi passionibus gaudete. 1. *Pet.* 4, 13.

Morbus deliciæ, mors lucrum, pœna voluptas,
Crvx mihi quòd nullâ me Crvce *cerno premi.*

EXTREMAM credebat Stauro-
phila se audiuisse lectionem,
quare nihil amplius percunctabatur, cùm Christus ad eam:
Necdum metam attigisti, filia,
nam vt pridem in arcum, ita nunc in citharam aut psalterium CRVCEM transmutare
docebo; vt discas scilicet *psallere nomini Do-* Psal. 91.
mini altissimi in decachordo psalterio, cum cantico in citharâ. Et hîc ignorantiam meam
fateri cogor, aiebat Stauophila, neque enim
intelligo quid Dominus meus velit. Audi Augusst. in
proinde, inquiebat Christus: *Psallere est cum* Psal. 91.
hilaritate facere: hilarem enim datorem dili- 2. Cor. 9.
git Deus. Eia igitur cantico verborum iunge
citharam operum. Cithara sonat ex inferiori,
psalterium ex superiori parte. *Cùm aliquid* Augusst. in
Psal. 42.

Communicantes CHRISTI passionibus, gaudete. 1 Pet. 4, 13.



Morbus delicię, mors lucrum, pœna voluptas,
CRVX mihi quòd nulla me CRVCE cerno premi.

pateris tribulationum, tentationum, ſcandalorum in hac terrâ, quia pateris ex inferiori parte, id eſt ex eo quòd mortalis es, ex eo quòd primæ tuæ cauſæ quiddam tribulationum debeas, Cithara es; venit enim ſonus ſuauis ex inferiore parte, pateris & pſallis, vel potiùs cantas, & citharizas. Quando dicebat Apoſtolus: Gloriamur in tribulationibus, cithara ſonabat ex inferiore quidem, ſed tamen dulciter. Omnis enim patientia dulcis eſt Deo. Si autem in ipſis tribulationibus defeceris, citharam fregiſti. Cùm autem æquo animo atque hilariter perfers ſcrupulos, deſolationes, obnubilationes, vt quaſi deſertam à Deo te putes; & gaudes tamen, etiam in hac CRVCE Deum laudans & benedicens; pſallis Domino in pſalterio decem chordarum: *tangis chordas in corde tuo, beneſonantes in auribus Dei. Cùm verò cæperis diſputare de operibus Dei, Quare hoc? quare illud? Et, Non debuit ſic facere: malè fecit hoc. vbi eſt laus Dei? perdidiſti Alleluia, rupiſti pſalterium tuum.* Auguſtin.

Dici vix poteſt, quantùm hæc Staurophilam exhilarabant. Non parum autem ſuſpenſam tenebat, quòd diceret Chriſtus in CRVCE exultandum & lætandum. Et liceat, inquiebat, Domine ſciſcitari, quid CRVCI & lætitiæ? quæ conuenientia doloris & gaudij? CRVX enim à cruciatu veriſſimè dicitur:

hanc autẽ corpus & animã excruciare nemo meliùs nouit, quàm qui tulit. Ego verò totâ hac vitâ credebam me afflictam, desolatam, mœrore & dolore consumendam: gaudium, lætitiam & pacem in alterâ exspectandam; hîc tribulationis, illic consolationis fore tempus. *Omnis* enim *disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris.*

Heb. 12, 11.

Plenissimam, inquiebat Christus, & superabundantem lætitiæ mensuram omnes Crucifieri percipient in retributione iustorum, quando intrabunt in gaudium Domini sui, vbi *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Habet tamen CRVX plurimum gaudij & lætitiæ, si eo baiuletur quo oportet modo. CRVX *enim totius gratulationis spiritualis est substantia.* Et nónne dixi in Euangelio: *Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis,* GAVDETE ET EXVLTATE; *ecce enim merces vestra multa est in cælis.* Et Apostolus meus nónne dixit: *Communicantes Christi passionibus* GAVDETE. Et alter: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Neque vas electionis meæ Paulus, quem allegasti, dicit, disciplinam in præsenti non esse gaudij, sed videri non esse gaudij. Reuerà enim causa & procrea-

Apoc. 21, 4

Chrysost. Hom. 2. de Cruce & Latrone.

Luc. 6, 22.

1. Pet. 4, 13

Iac. 1, 2.

creatrix est omnis lætitiæ & gaudij, adeoque vitæ æternæ. Sed in ipso castigationis momento videtur esse mœroris, non gaudij: sensus enim doloris ita homines perstringit, vt fructum pacatissimum inde secuturum non cogitent. Hic enim vbi dolor transierit, melius agnoscitur & persentitur. Et quid dicam? Certa beatitudinis tessera est, posse in perpessionibus gaudere, & circumlatrantibus vndique malis, hilarem cælo animum attollere, etsi per genas copiosè fluant lacrymæ. Seneca lib. de Prouid. Dei.

Facilè crediderim, aiebat Staurophila, non deesse gaudendi materiam in ipsâ CRVCE, si quis attentiùs futura reuoluerit præmia, verùm vt hoc in ipsis fiat pœnis,

Hoc opus, hic labor est: —— Aeneid. 6.

& paucos equidem esse arbitror, qui in cruciatibus exultauerint. Ego verò, respondebat Christus, minimè paucos tibi producam. An non Apostoli *ibant gaudentes à conspectu concilij*, quòd *digni habiti* essent *pro nomine* IESV *contumeliam pati*. Quàm hilaris Paulus, qui dicebat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ!* Et: *Si immolor supra sacrificium & obsequiũ fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, idipsum vos gaudete, & cõgratulamini mihi. Sancti* quoque *ludibria & verbera experti, lapidati, secti, tentati, in occisione* Act. 5, 41. 2. Corinth. 7, 4. Philip. 2, 17. Rupert. in cap. 14. Apocal.

gladij mortui, anguſtiati, afflicti, quid erant niſi citharœdi citharizantes in citharis ſuis, teſtimonia ſcilicet diuinæ veritatis perſonantes? Quâ lætitiâ geſtiebant olim Martyres in medijs tormentis? *Marcus & Marcellianus fratres propter Chriſtianam fidem comprehenſi, adſtipitem alligati ſunt, pedibus clauis confixis. Ad quos cùm ita loqueretur Iudex: Reſipiſcite miſeri, & vos ipſos ab his cruciatibus eripite. Reſponderunt: Numquam tam iucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter* IESV *Chriſti cauſâ perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cœpimus. Vtinam tam diu nos hæc pati ſinat, quàm diu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus!* Ita *diem noctemq; in tormentis diuinas laudes canentes, denique telis transfixi ad martyrij gloriam peruenerunt.* Nec infirmiori ſexui ſimilia deſunt exempla: *Agatha* enim *lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem: & quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum Domino commendabat.* Agnes quoque tredecennis virguncula *nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ, magiſterium virtutis impleuit, quamuis præiudicium veheret ætatis. Non enim ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit.* Quid Thecla? poſt ſuperatas beſtias, ignes, carceres ita dicebat: *Etiamſi in ſingulos dies mihi cum igne, belluis, vin-*

Breuiar. Roman. 18. Iun.

Breuiar. Roman. 5. Febr.

Ambroſ. lib. 1. de Virginib.

Baſil. Seleuciæ Epiſc. in Vitâ S. Theclæ.

vinculis, carceribus rem esse contingat: adeò mihi etiam omne mortis & discriminis genus propietate subeundum, ipsismet paradisi delicijs, epulisq; instructissimis potiùs ducitur: tantummodò, Domine, digna, quæ pro te & nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear. Vidésne, Staurophila, quantâ alacritate, quâ animi hilaritate Sancti CRVCES pertulerint?

Video, inquiebat illa, sed quod in ipsis obstupesco, id, vt liberè dicam, ruborem mihi incutit: illi enim non modò patienter, sed & libenter & ardenter ad tormenta, sicut ad ornamenta properabant. Ego autem pusillanimis multùm etiam laboro vt patienter feram: sed adiuua, Domine, infirmitatem meam.

Eia, inquiebat Christus, confide filia, sensim creſces ad robustam & omnibus numeris perfectam patientiam, *& quæ nunc pœnarum inanium leuitate deprimeris, remuneranda postmodum pretiosi auri pondera reportabis.* Interim tamen si huc assurgere nequeas; noli murmurare, noli queri, sed constanter *sustine, & in dolore tuo patientiam habe.* Pet. Dam. l. 8. Epist. 6. Eccli. 2, 4.

Cui Staurophila: Mihi equidem volupe esset nouisse psalterium CRVCIS aptè tangere, vt de chordis cordis mei resonaret dulcis iubilatio, & laus perennis diuinæ maie-

ſtati. Benè habet, inquiebat Chriſtus, & facilè hanc artem diſces, ſi *afflictionem vel dolorem ſentiens Deo te humiliter perſeueranterq; reſignes: huiuſmodi enim reſignatio eſt ante Deum velut cithara dulciſona, in cuius chordis Spiritus ſanctus ſuauiſſimè canens, cæleſtis Patris aures occulto quodam internoq; modulamine mirificè demulcet. In hac citharâ craſſiores fides, id eſt, exteriores hominis vires (quæ vndique dolore occupantur) demiſſum lugubremq; ſonum reddunt: at fides exiliores, nempe, vires interioris hominis (quæ plenâ deuotione in ſpontaneâ patientiq; reſignatione perſiſtunt) acutum iucundumq; ſonum edunt. Natura ſenſibilis excruciata gemit, ſed natura ſuperior ac rationalis permanet tranquilla.*

Bloſ. in Inſtit. ſpirit. cap. 8.

Facilè intelligo, inquit Staurophila, à tranquillo animo perfici ſpiritualem hanc melodiã: nam & Apoſtolus monet, vt, qui *æquo animo eſt, pſallat.* Mens verò turbata omnem harmoniam diſſoluit. *In mœrore* enim *animi deïcitur ſpiritus.* Sed obſecro te, Domine, ediſſere mihi vt hanc animi pacem nanciſci potero.

Iacob. 5, 13.
Prouerb. 15, 13.

Cui Chriſtus: Si diuinæ per omnia reſponderis voluntati, & aliud non velis, quàm quod vult Deus. Quicumque enim hoc fecerit, tranquillus, felix, & verè beatus erit.

Faciet

Faciet enim quidquid voluerit, cùm quidquid euenire ei Deus voluerit, hoc & ipse velit. *Nulli, vt opinor, beatiores sunt, quàm qui ex sententiâ suâ atque voto agunt. Humiles sunt religiosi, hoc volunt, pauperes sunt, paupertate delectantur; sine ambitione sunt, ambitum respuunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. Cùm infirmor,* inquit Apostolus, *tunc potens sum. Itaque quidquid acciderit ijs, quicumque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumlibet aspera, nulli lætiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt.* Suauibus his sermonibus delinita Staurophila, exultauit præ gaudio, & diuino (vt facile erat colligere) agente Spiritu prorupit & ipsa in canticum lætitiæ, ita CRVCEM ex animo salutans, & celebrans.

Saluian. de Vero iudic. & prouid. Dei lib. 1.

2. Cor. 12, 10.

Ode Staurophilæ in CRVCE exultantis.

CRVX aue summo veneranda cultu,
Regis æterni roseum cubile,
Candidi sacro rubeiq; fulgens
Sanguine Sponsi.
Tu, tribus mundum digitis ferentem
Carnis humanæ spolijs amictum,
Saucijs qui te tulerat lacertis,
Fausta tulisti.

Hæc

Hæc tui tota est ratio decoris,
Vniuersarum CRVCIVM *rigores*
Mitigans, lethum facis esse lætum, &
Damna fauores.
Quis pijs ergo grauis esse casus?
Quid vel aduersi pote contigisse,
Queis & ærumnæ, lacrymæ, labores,
Gaudia præstant?
CRVX *voluptatis penus æiternæ,*
CRVX *bona, ô, quàm te iuuat osculari?*
Quàm iugo dulci nihilo repugnans
Subdere collum!
Non nisi in solâ CRVCE *gloriabor*
Magna: nam nullâ CRVCE, CRVX *grauari;*
CRVX *mihi summum decus, & corona,*
CRVX *mihi vita.*
Ergo mi salue, bona CRVX, *salutis*
Tessera æternæ: via quæ Sionis,
Mille post casus, gemitusq; mille,
Ducis ad arcem.
Millies felix, mea sponsa, salue,
Mille diu votis mihi concupita,
Quæ tibi iunctam, peramato Iesu
Iungis amantem.
O nimis felix CRVCE *cui potiri,*
Cui pati gratos licet hîc dolores,
Et suo verum Crucifixo amori
Reddere amorem!

CA-

CAPVT XV.

In CRVCE, *& pro ipsâ agendæ gratiæ.*

In omnibus gratias agite. 1. *Tessal.* 5, 18.

Non ea quam tribuis CRVX *est, sed pignus amoris*
Cor tibi pro tanto munere reddo lubens.



INIERAT Staurophila, cùm Christus iterùm sic infit: Per gradus, ô filia, scandendum ad culmen: didicisti in CRVCE gaudere, nunc, vt proficias, & hoc adiungendum, vt gratias Deo non magis in prosperis agas, quàm in aduersis. Non enim *fucatè gratus est qui inter medias deprehensus calamitates toto pectore gratias agit Domino.* Nam *quid magnum facis, si quando in secundis rebus es, laudes Deum, quando in diuitijs es, quando nullis vexaris iniurijs? Illud est magnificam, si subiecta iniurijs & contumelijs iudicium Dei laudes.* Magnum, inquiebat Staurophila, reuerà hoc est, non tamen nihil esse crediderim in prosperis non ingratum esse. Est, inquiebat Christus, id certè etiam aliquid, sed fatendum tamen, minùs perfectum.

S. Antiochus Hom. 117.

Ambros. in Ps. 118. Octon. 10.

In omnibus gratias agite. 1. Thes. 5, 18.



Non ea quā tribuis CRVX *eſt, ſed pignus amoris.*
Cor tibi pro tanto munere reddo lubens.

ctum. Nam *magnitudo gratæ mentis in tristibus apparet. Vides, quòd si in prosperitate gratias egeris, sycophanta diabolus factum tuum extenuat, & dicit: Num frustrà Iob colit Dominum.* Cui nimirum in secundis gratias agebat, sed vbi tot cãlamitatibus, pressum audiuit dixisse, *Sit nomen Domini benedictum,* Diabolum prostrauit, *& maiorem plagam intulit, quàm cùm possidens miserabatur pauperum. Nam secundis quidem rebus gratias referre Deo, non admodum mirabile: porrò cùm multus fuerit fluctus, cymbáque circumacta periclitatur*; tunc gratias agere *magna atque excellens patientiæ & bonæ voluntatis ostensio.* Pro beneficijs gratias agere, vel idololatræ ac Gentiles norunt; pro calamitatibus, CRVCIBVS, ac supplicijs, soli Christiani. Summa enim religio est, inter aduersa Deo gratias agere. Et crede, Staurophila, *plus valet vnum* DEO GRATIAS *in aduersis, quàm sex millia in prosperis.*

Chrysost. Serm. de Iob & Abraham.

Iob. 1, 9.

Chrysost. Homil. 5. de Patient. Iob.

Auila tom. 2. Epist. pag. 20.

Vix vmquam mihi persuaseram, aiebat Staurophila, pro miserijs & cruciatibus grates refundendas, cùm sensibus adeò ista ingrata sint. Multa, inquiebat Christus, sensualitati parum grata, vtilia sunt saluti: quo in genere & hanc gratiarum actionem reponere licet, est enim absconditus in eâ thesaurus, quem ignorant filij huius sæculi. Disce hoc

hoc in mysticâ hac figurâ. Lege olim vetuerat Assuerus, ne *quis non vocatus interius atrium intraret, nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetendisset pro signo clementiæ, atque ita posset viuere.* Esther verò contra hoc præceptum ingrediens, cùm extendisset Rex virgam auream, *osculata est summitatem virgæ eius.* Sed velum iam amoueamus, vt clariùs videas. Quid, quæso, hoc significare censes, nisi quòd præuaricatores homines atria Domini introire prohibeantur, nisi aureâ virgâ eos Deus tetigerit, eamq; fuerint exosculati? Quęnam verò hæc virga? nisi CRVX, aduersitas, tribulatio? Vnde autem aurea? nisi quia meis perpessionibus inaurata? Cur deosculanda? quia à regali manu, à paterno amore, à benignâ Dei voluntate, vt magnum donum porrigitur. *Pro Deo siquidem pati, munus est maioris admirationis, quàm sit reuerà mortuos suscitare, & signa miranda patrare. Nam illinc quidem debitum contrahis, hinc verò debitorem habes Deum.* Dissuauianda igitur CRVX, & cum gratiarũ actione toleranda: signum enim est clementiæ, remissionis peccatorum, & quòd tui Deus memi-nerit. *Apud Persas Regi gratias agebat, qui, quantumuis innocens, ab eo flagellari iussus fuisset, quòd Rex nimirum illius memor fuisset.* Quid facere par est, cùm non à Rege terre-

Esther 4, 11.

Ibid. c. 5, 3.

Chrysost. Hom. 4. in Epist. ad Philem.

Stobæus de Legibus Serm. 44.

terreno, sed cælesti, qui Rex Regum,& Dominus est dominantium iuberis flagellari, torqueri,vri,secari ? Cur non potiùs has plagas,quæ cæli pretium sunt, venereris, & supplex pro iis gratias agas ? Num legisti quid Regius Vates decinerit ? *Virga tua,* inquit, *& baculus tuus,ipsa me consolata sunt.* Quasi luculentiùs diceret: *Disciplina tua tamquam virga ad gregem ouium, & tamquam baculus iam ad grandiores filios, & ab animali vitâ ad spiritalem crescentes, ipsa me non afflixerunt magis, quàm consolata sunt: quia memor es mei. O quid non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est ! Nam res prospera donum est consolantis: res autem aduersa, donum est admonentis Dei.* Psal.22,4. Augûst.in Psalm.22. Auguſt. Epist. 87.

Ad hæc Staurophila : Domine, inuenire est minimè paucos qui *confiteantur tibi* cùm benefeceris eis. At quotusquisque est qui CRVCE grauatus, tribulationibus pressus, ex animo gratias agat ? *Quis est,* inquam, *hic ? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vitâ suâ.* An verò ignoras,inquiebat Christus,fortissimorũ heroum exempla, in Ecclesiâ meâ decantatissima ? An non sanctissimus Iob in tot ac tam horrendis calamitatibus illud vsurpauit : *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Laurentius Psalm. 48, 19. Eccli.31,9. Iob. 1,22.

Breuiar. Rom. Surius in Vitâ 14. Maij.

tius igneo lectulo recumbens, *Assatus*, inquiebat, *gratias ago*. Bonifacius Martyr vngulis excarnificatus iubilabat: *Gratias tibi ago Domine Iesu Christe fili Dei*. S. Saturninus durum obiens dolorum agonem, aiebat: *Breuiter patior, libenter patior, gratias ago, nec agere sufficio, Christe da sufferentiam, tibi laus, tibi decus*. Quid D. Cyprianus? cùm à Proconsule Galerio interrogatus breuissimè respondisset, recitatâ tandem è tabellâ sententiâ: Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet; dixit, *Deo gratias*. Iacobus, qui à supplicio quod tulit, interciſus dictus, membratim mori sustinuit: quoties autem vel articulus digiti, vel iunctura membri præsecabatur, toties ille auditus est dicere, *Deo gratias*. Theodorus æuo Maximiani Cæsaris, laceratis & pertusis iam lateribus vix spirans ampliùs, suum tamen organum animabat, & canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore*.

Ibidem 11. Febr.

Baron. Tom. 2. an. 261. num. 30.

Psal. 33, 2.

Quid tibi de his videtur Staurophila? Martyrum credo hæc priuilegia, inquiebat illa; quos ad fidei confirmationem, & Tyrannorum confusionem Deus peculiariter hac gratiâ exornat. Non Martyres tantùm, respondebat Christus, verùm etiam ægroti in morbis hunc gratitudinis affectum ostenderunt. *Seruulus ille, à primæuâ ætate vsque ad*

Gregor. Hom 15. in Euang.

ad finem vitæ paralyticus, non stare poterat, nec ad sedendum è lecto surgere, non manum ad os ducere, non se in latus aliud declinare. Hic autem studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare, qui & ipse cæleste melos in morte suâ meruit audire. Et B. Clara continuis viginti octo annis, morbo intabescens, assiduè DEO GRATIAS retulit. Quid nunc censes filia? etiámne nulli tibi videntur, aut pauci qui in ærumnis Deo benedicant & gratias agant?

Fateor, Domine, aiebat illa, incogitantiam meam. Nec ego deinceps hoc sacrificium laudis intermittere decreui, quin potiùs *gratias agam gratiæ largitori, quia me misericorditer flagellarit: quia iram mihi conuerterit in gratiam, infirmari me volens, ne grauiùs infirmarer, affligens, vt parceret; prosternens vt erigeret: & quis, Domine, nouit potestatem iræ tuæ? plena est enim miserationibus ira tua; & iudicia tuæ animaduersionis quam temporaliter exerces in tuos, certa sunt pietatis indicia. Iustorum siquidem animæ in manu Dei sunt: ideò inter delicias & dolores iram Domini, & misericordiam sapientes in flagellis agnoscunt. Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.* Blesens. Epist. 31. Ps. 89, 11. Sap. 3, 1. Ps. 47, 12.

Eia! sic loquere, inquiebat Christus, hoc

Chryſoſt. Hom. 8. in Epiſt. ad Coloſſ.

Chriſtianorum idioma eſt: *Nihil hac linguâ ſanctius, quæ in aduerſis* DEO GRATIAS *agit. Certè non inferior eſt lingua Martyrum, vtraq; certè pariter coronatur. Nam & aduerſus iſtam inſtat lictor Deum per maledicentiam negare cogens, inſtat diabolus argutis cogitationum quæſtionibus lacerans, & animi anguſtijs obtenebrans. Si ergo dolores pertulerit, & gratias egerit, Martyrum coronam ſortitur.*

Auguſt. in Pſalm. 77.

Quid igitur melius, inquiebat Staurophila, *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm* DEO GRATIAS, *hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.* Nunc profectò meliùs intelligo, quid ſibi voluerit Senex quidam in Vitis Patrum, qui infirmanti diſcipulo ſuo dixit: *Non contriſteris, fili, ex infirmitate vel plagâ corporis tui, ſumma enim religio eſt, vt in infirmitate quis agat* DEO GRATIAS. *Si ferrum es, per ignem æruginem amittis: ſi verò aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora procedis. Ne anxieris ergo frater; ſi enim Deus te vult in corpore torqueri, tu qui ſis qui moleſtè feras? Suſtine ergo, & roga Deum, vt quæ ipſe vult, illa concedat.*

Vitæ PP. l. 7. c. 20. num. 1. Et Ruff. lib. 3. in Vit. Pat. num. 157.

Optimam monitionem, aiebat Chriſtus, hic Senex ſuo dedit diſcipulo, cui etiam ſubſcribo; tibique, ô filia, eamdem etiam atque etiam commendo. Gratiarum enim actio in

CRV-

CRVCE bonos à malis discriminat, & qualis vnusquisque sit optimè ostendit. Qui campanas fundunt, mallei ictibus earumdem explorant bonitatem, antequam vel benedicantur, vel in excelsam turrim attollantur: nisi enim bonum ediderint sonum, reprobantur. Itidem Deus facit, non eleuat electos ad cælum, nisi frequentioribus CRVCIBVS & afflictionibus exercitos, vt probet an firma etiam sit eorum patientia, & quàm gratum edant sonum, qualémve emittant vocem. Pulsauit olim Deus magnam illam campanam Iob Prophetam, & manus Domini tetigit eum. vis nosse quo instrumento? *malleo vniuersæ terræ*, diabolo inquam. Quis porrò sonus huius campanæ? *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* * *Quomodo sonuit? quàm suauem sonum dedit? adhuc tunditur datus in potestatem* diaboli, *vt & caro eius percuteretur. Percussit eum à capite vsque ad pedes graui vulnere, & putrescens vermibus sedebat in stercore. Audisti quemadmodum tunsus est, audi nunc quomodo sonet. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? ô sonum fortem! ô sonum dulcem! ô quem non dormientem excitet sonus iste!* Benedicenda, sine dubio, est hæc campana, quæ tam benedictum edit sonum. Hoc scilicet indicium viri boni, viri

Coren. in Clyp. patient. lib. 1. cap. 4.

Ierem 50, 32.

*Augustin. in Psalm. 97.

Iob. 2, 10.

Antiochus Hom. 117. erga Deum grati. *Contrà cognoscibile quoque indicium viri malè grati: is* enim *dum angitur quapiam tribulatione, est querulus, murmure interstrepit, discruciatur ob hoc miserè, tuetur causam suam, & excusat innocentiam.*

August. Tom. 10. Serm. 11. de Temp. Quid plura? *Sic sunt boni & mali quomodo si duo vasa sint plena, & vnum habeat putredinem, & aliud aromata pretiosa,* vtraque tamen *vno ventilabro ventilata. Illud vas, vbi fuerint aromata, odorem desiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita simul boni atque mali indiscretè quidem turbati, sed alto Dei iudicio separati. Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit, qui boni sunt, velut vasa sancta, gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: illi verò qui sunt superbi, luxurioſi, cupidi, blasphemant & murmurant contra Deum, dicentes: O Deus! quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur?*

CAPVT XVI.

Potiùs in aduersitate quàm prosperitate referendas gratias: non Deo tantùm, sed & CRVCEM inferenti.



Hæc vt Staurophilæ gratiarum actionem non parum commendabant, ita dubium vnum alterumque animo eius suggerebant: quæ instructori suo proponere cupiens; Obsecro, Domine, inquiebat, id ancillæ tuæ explicare ne graueris: Maiórne gratiarum actio in prosperitate, an in aduersitate referenda? Quid verò dubitas? aiebat Christus, Cuinam censes amplior redhibenda gratia, maiori an minori beneficio? Maiori, inquiebat illa. Compara igitur, inquiebat Christus, aduersa secundis; & vtra præponderent diligentiùs expende. CRVX à peccato reuocat; prosperitas ad illa allicit & impellit. *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.* An non & illud, quòd tribulatio ad Deum moneat recurrere, prosperitas eiusdem inducat obliuionem? Timorem deinde Dei, & compunctionem CRVX 2. Mach. 6, 13.

Bernard. lib. 2. de Consid. cap. 12.

excitat: *prosperitas animum à sui custodiâ & disciplinâ relaxat. & quando incautis illa non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad niuem vel glaciem? Sapiens Dauid, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimis secundis rebus diter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientiâ. Nec minor, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit.* Tribulatio & CRVX æternæ beatitudinis prognosticon & arrha quædam est, successus temporalium futuræ damnationis non leue indicium. Nam *sicut fulgur tonitrua portat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat.* *Si cui in terrenarum affluentiâ rerum felicitas arridere cupita videtur, eo ipso infelicior est, quò vehementiùs ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab eâ.* Quid nunc de his duobus affirmas? vtrum maius existimas munus? CRVCE vix malè quis vtitur, prosperitate vix quisquam benè.

Bernardus Senens. Serm. 23. in Fer. 5. post Dom. 2. Quad. art. 3. c. 3. *Bernard. Serm. 11. in Psalm. Qui habitat.

Profectò, aiebat Staurophila, si æterna meditemur, vt par est, excellentius donum est tribulatio, & ampliori dignum gratitudine. Rectè respondisti, inquiebat Christus: nam *si Astronomorum omnium prædita esses scientiâ; si tam copiosè & eleganter posses de Deo dicere ac eloqui, quàm cunctæ & Angelorum*

Suso in Dialogo ætern. sap. cap. 13.

&

& hominum linguæ, si denique sola eâ esses eruditione luculenter instructa, quot simul tota litteratorum atque Doctorum omnium frequentia, non tibi isthæc omnia tantum conferrent ad vitæ pietatem ac sanctitatem, quàm si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permittere ac resignare possis. Illa namque bonis malisq; communia sunt; hoc verò non nisi electorum est. O si quis iusto posset perpendere iudicio tempus & æternitatem! mallet ille profectò vel centum annis in ardenti iacere camino, quàm vel minimâ leuissimæ afflictionis carere mercede in cælis æternùm percipiendâ. Illud namque finem habet: istud nullo clauditur termino. Et ideò licet *centũ quis annis Deum supplex adoret, haud tamen dignas ei gratias agere posset pro minimâ tribulatione à Domino immissâ.* Et *mirandum profectò est, quòd sub pedibus electorum omnes lapides non vertantur in spinas in capita illorum insilientes, adeò ineffabilia bona erunt, quæ breuissimo suo labore consequentur.* Quis vmquam, inquiebat Staurophila, vel animo concepisset, tantum boni sub CRVCE latitare, tantumque mellis propinandum pro modico fellis?

Anto. Hemartius in Spec. perfect. c. 10.

Sed illud præterea animum nonnihil sollicitat, num satis sit diuinæ bonitati pro immissis calamitatibus gratias habere, an verò & iis habendæ, quorum improbitate, odio,

& maleuolentiâ CRVCES in nos deriuantur?

Miror, inquiebat Christus, cur hîc hæreas, si modò Scripturas legeris; an non diserte in Euangelio prolocutus sum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos?* Si diligendi inimici, consequenter & dilectionis signa exhibenda: *Probatio* enim *dilectionis, exhibitio est operis.* Benefacere autem, & orare pro persequentibus, non tam gratias agere quàm referre est. Nónne in CRVCE pro ipsis crucifixoribus meis oraui, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt?* In quo me & protomartyr Stephanus, & Apostolus Iacobus imitati sunt. Quæ autem maior gratiarum actio esse queat, quàm in ipsâ morte orare pro illis qui eam inferunt?

Matth. 5, 44.

Gregor. Hom. 30. in Euang.

Luc. 23, 34

Excellens sanè, inquiebat Staurophila, hic virtutis gradus! non solùm non malefacere, non malè velle malefactori, sed etiam ex ipsâ iniuriâ occasionem accipere benefaciendi! Nescio autem quomodo ad eam vel aspirare tandem potero.

Aliorum saltem, inquiebat Christus, te excitent exempla: neque enim difficile est imitari, quod ab aliis tibique similibus gestum cognoueris. Non meministi quid de Philosophi cuiusdam discipulo celebratum legatur?

tur? *Peccauerat* hic, & indulgentiam petebat: sed concedere eam Philosophus noluit, nisi triennio toto esset cum damnatis, qui metalla in flumine deponunt. Deinde voluit, vt aliis tribus annis mercedem daret, qui iniurijs & conuitiis eum afflixissent. Completâ autem hac pœnitentiâ, dixit ei Philosophus: *Veni nunc in ciuitatem Atheniensium, vt illic sapientiam possis discere. Erat autem ibi quidam Senex sapientiæ studiosus, & sedebat ad portam, omnesq; ingredientes experiendi causâ conuitijs affligebat: qui cùm idem iuueni ingredienti faceret, ille exorto cachinno risit. Cui Senex ait: Quid est hoc, quod agis? ego te iniurior, & tu rides? Cui iuuenis ait: Et non vis vt rideam, cùm tribus annis mercedem dederim, vt hoc paterer, quod hodie à te gratis patior?* Tunc Senex dixit ei: *Ingredere ergo ciuitatem, quia dignus es. Hoc autẽ solebat Abbas Ioannes referre, & his ipse addebat, dicens: Hæc est porta Dei, per quam Patres nostri per multas tribulationes & iniurias gaudentes ingressi sunt ciuitatem Dei.* Sed iuuerit & alios huius virtutis cultores oculis obijcere, ne arduitate operis, & raritate sic operantium te forsan excuses. Glorioſus martyr Cyprianus capitis damnatus, ſpiculatori à Diaconis ſuis aureos viginti quinque numerari iuſſit. Alexander

Ruffin. in Vit. Pat. lib. 3. n. 84.

Baron. Tom. 2. anno 261. num. 30.

Sophron. in Prat. spirit. c. 34.

xander Patriarcha Ierosolymitanus Notarium habuit, qui aurum ei surripuit. Is posteà captus fuit: sed pius Patriarcha eum octoginta quinque numismatibus redemit. *Quo reuerso ita piè misericorditerq; vsus est, vt quidam ex vrbis habitatoribus dixerit aliquando, nihil esse vtilius, quàm in Alexandrum peccare.* *Stephanus* Abbas tantæ erat patientiæ, *vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumelijs gratias. Si quod in ipsâ suâ inopiâ damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quàm adiutores æstimabat.* Lepidum porrò est quod de Ioanne Eleëmosynario litteris commendatum est. Caupo erat, qui multis iniuriis & contumeliis affecerat iuuenem huic sancto sanguine iunctum. Iuuenis apud Episcopum grauiter conqueritur, Episcopus vt iuuenis animum mitigaret, Itáne, inquit, ausus fuit te vel verbo violare? Faciam in eo rem, quâ tota Alexandria mirabitur. Moxq; vocato ad se vectigalium magistro, iubet vt nihil amplius vectigalis, aut aliquod aliud Ecclesiæ debitum ab illo caupone exigat, sed vt immunem illum ab omni solutione, quæ quidem ipsi vel Ecclesiæ eius deberetur, relinquat. Hoc videlicet eius factum tota Alexandria mirata est.

Gregor. Hom. 35. in Euang.

Leont. in Vitâ, apud Surium Tom. 1.

Viro-

Virorum hæc sunt, aiebat Staurophila, in paucis fortium: quos & feminas aliquando ex Dei gratiâ æmulatas facilè crediderim. Nam de beatâ Lydvvinâ Batauâ virgine proditum accepi, eam contumeliis & conuitiis à furenti fœminâ prosciſſam, nullo modo fuisse commotam. Cùm illa deinde & in faciem eius fœdissimè exspueret, & clamoribus ac maledictis, tamquam vim passa, concitaret, mitissima virgo in patientiâ suâ animam possidebat. *Maleficium verò beneficio compensare volens, clam ei munusculũ transmisit; dicebatq; suis: Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt.* Theresia quoque, notissimæ sanctitatis virgo, hos ardentiùs amabat, Deoque precibus commendabat crebriùs, quos sibi aduersarios & maximè inimicos cognouerat, quibus etiam non rarò beneficia impendebat: vt Episcopus quidam dicere soleret, non esse præsentius medium ad sanctæ illius heroidis amorem conciliandum, quàm iniuriâ eam vel damno afficere.

Sur. in Vitâ Tom. 2. cap. 1.

Acta Canonizat. relat. 2. art. 6.

Hæc cùm ipsa scias, filia, subijciebat Christus, quid est quòd anteà ambigebas? Inde, Domine, aiebat Staurophila, quòd memoriæ non occurrerent, & præceptum de diligendis inimicis in Euangelio traditum, adeò exi-

eximium semper putauerim, vt pauciſſimi illud, & vix impleuerint. Eſt id quidem, aiebat Chriſtus, magnæ perfectionis, quæ ipſa tamen & in veteri lege præſcripta. Quid
Exod. 23, 4 enim eſt illud? *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino errranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Quid, quæſo, ſibi
Prou. 25, 21. voluit Salomon, cùm diceret: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi?*

Mirum, ſubdebat Staurophila, in illâ lege, quæ nihil ad perfectum adduxit, tantam perfectionem legi & præſcribi. Cui Chriſtus: Virtutum celſitudinem haud facilè aſſequitur infirmus animus, & paſſionum ſuarum caligine obnubilatus. Tu verò ad ſumma ſemper annitere, & ab iniuriarum
Climacus Grad. 9. memoriâ *tum demum perfectè te curatam intellige, non cùm pro eo qui te contriſtauit oraueris, non cùm illum muneribus affeceris, non cùm ad menſam tuam eum perduxeris: ſed cùm, cognitâ illius aliquâ calamitate, ſiue corporali ſiue ſpirituali, quaſi ipſa eam perpeſſa fueris, ita te angi dolore atque lacrymari perſpexeris.*

Hei mihi Domine, inquiebat Staurophila, quàm longè ſum ab hac perfectione! Et quando eò perueniam, quò tot Sancti & Sanctæ

Sanctæ ſuis exemplis viam ſtrauere? Noli deſperare, aiebat Chriſtus, *nec tuis te viribus hoc implere poſſe confidas: ſed obtine precibus, vt ipſe hoc qui imperat, præſtet. Quia petentes libenter exaudit, quando hoc petitur largiri, quod iubet.* Nequè verò te deijcere Sanctorum præſtantiſſima exempla, aut puſillanimem reddere debent; *illa ſiquidem in altero è duobus te optimè erudient; aut enim imitationem ſanctæ formæ excitabunt: aut ad tui ipſius agnitionem, & eius, quæ in te eſt fragilitatis, demonſtrationem per beatiſſimam humilitatem te conuertent.* Crede mihi, filia, magna imperfectio eſt, ſuam non ferre imperfectionem; & impatientiam oſtendere, quia minùs ſis patiens. Nam & hoc æquo animo tolerandum, donec ad altiora, Spiritu ſancto aſpirante, promouearis. Interim ſtudium & laborem huc adferre oportet.

Gregor. Hom. 35. in Euang.

Climac. Gradu 26.



CAPVT

Mihi æbſit gloriari niſi in CRVCE Dñi noſtri IESV CHRISTI. *Gal. 6, 14.*



Non onus eſt, ſed honos; non dedecus, at decus ingēs;
Tecum vel minimam CHRISTE tuliſſe CRVCEM.

CAPVT XVII.

Vt in CRVCE *gloriandum.*

Mihi absit gloriari nisi in CRVCE Domini nostri Iesu Christi. *Gal.* 4, 14.

Non onus est, sed honos; non dedecus, at decus ingens,
Tecum vel minimam Christe tulisse CRVCEM.

CORONIDEM salutaribus monitis tandem imponere volens Christus, Vnum hoc, inquiebat, supereſt Staurophila, firmissimè tibi vt persuadeas, summam dignitatem, summam gloriam, summum honorem in eo situm, vt mecum & pro me baiules tibi CRVCEM. *Quid enim glorioſius, quàm mihi tanta & tam dura pro vobis passo, vicem reddere? plagas plagis, probra probris, cruorem cruori rependere?* An non honor habetur seruo, si ex eodem bibat calice, ex quo Rex & Dominus? Fit hoc, cùm tribulationis calicem, à me priùs exhaustum, aliis quoque bibendum trado. Vnde Apostolis illis, consessum ad dexteram Tertull. lib. de Resurrect. carnis.

vel sinistram meam ambientibus, dicebam:
Matth.20, 23. *Calicem quidem meum bibetis*; insinuans *magni amoris, & æternæ hereditatis esse signum, consortes eos hîc facere calicis & passionis meæ.*
Thom. à Villâ nouâ Conc.de S.Iacob. Intellexerunt optimè hanc dignitatem Petrus & Paulus, quorum hic ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in illum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.*
Philipp. 1, 29. Ille verò: *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescit.*
1.Pet.4, 13. Hic nimirum potissimus qui in hac vitâ haberi potest honor, & in hoc tibi, Staurophila, gloriandum.

Cui illa: Hoc docuisti me, Domine; nihil per ostentationem aut vanam gloriam facere, imò adrepentem, & comitis instar se bono operi adiungentem prorsus reiicere? Quomodo igitur in CRVCE gloriabor? Cui Dominus: Gloriam quærere, aut aduentitiâ delectari, prohibui equidem, quia vtrumque malum: omnem tamen gloriam non excludi, tantùm vt *qui gloriatur, in Domino glorietur.*
2.Corinth. 10,17.

Quid autem est in Domino gloriari? rogabat Staurophila. Illud nimirum, respondebat Christus, non seipsum commendare,
Cornel.in 2.ad Corinth.10,17 sed

sed à Domino commendationem & approbationem exspectare, ita vt illi, cuius patientia donum est, illa ipsa accepta feratur, illi omnis gloria adscribatur, ad illius laudem & gloriam omnia dirigantur. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, non foris est: hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino: quòd conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderat, & cui placere, sola vera & summa gloria est.* Talis enim cum Psalte dicit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Ps. 44, 14. Bernard. Serm. 25. in Cant.

Ps. 113, 1.

Gloria tibi, Domine, aiebat Staurophila, quia erudisti famulam tuam, vt hanc non in se, sed in te & à te peteret. Sed enim, cùm CRVX tua fuerit turpissimæ mortis supplicium, & ignominiæ signum, scire aueo, an & Dominus meus in CRVCE baiulandâ potuerit gloriari. Cui Christus: Ego, filia, gloriam meam non quæsiui, nec hominibus placere desideraui: gloriam verò, quæ à solo Deo est, semper quæsiui. CRVCEM tamen, ne nescias, velut imperij mei insigne prætuli, vt Propheta prædixerat: Cuius *principatus super humerum eius. Principatus enim* meus *erat* CRVX, *propter quam me Deus exaltauit. Et sicut in signum dignitatis, alij baltheum, alij mitram portant, sic & ego* CRVCEM. *Et sanè si inquiras, inuenies non aliter*

Isa. 9, 6. Theophyl. in cap. 23. Luc.

me in vobis regnare, nisi per asperitates & CRVCEM, *quo fit vt delicioſi inimici ſint* CRVCIS. An putas vacare myſterio, quòd ſupplicij mei fuerim geſtator? Non vacat: factum enim id *vt lignum* CRVCIS *in ſceptrum* mihi *conuerterem poteſtatis*, & *pulchrâ ſpecie triumphi* mei *portarem trophæum, & inuictæ patientiæ humeris, lignum ſalutis adorandum regnis omnibus inferrem, tamquam & tunc ipsâ operis imagine omnes imitatores meos confirmarem, & dicerem: Qui non accipit* CRVCEM *ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quid ni ergo *grata ignominia* CRVCIS *ei, qui Crucifixo ingratus non eſt? Nihil glorioſius quàm Chriſti portare opprobrium. vnde vox illa prorſus exultationis & ſalutis: Mihi abſit gloriari, niſi in* CRVCE *Domini mei Ieſu Chriſti.*

Leo Ser. 8. de Paſſ. Dom.

Matth. 20, 38.

Bernard. Serm. 25. in Cant.

Gal. 4, 14.

Verè, inquiebat Staurophila, glorioſum omnino CRVCEM portare, nam qui Regibus inſeruiunt, quàm accepti illis ſint, ex fauoribus & muneribus, ex diuitiis & ſtemmatibus ab iis acceptis facilè apparet. Tui verò, Domine, quàm grati tibi ſint miniſtri, ex impoſitis manifeſtatur CRVCIBVS. Sic enim nobilitatus Tobias, ab Angelo audiuit: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*

Tob. 12, 13.

Vtinam ita ſaperent, inquiebat Chriſtus, &

& intelligerent omnes filij hominum! qui dignitates & honores magnâ ambitione quærunt, qui diligunt vanitates & insanias falsas. Verè enim ferre CRVCEM *propter me illustrius est quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Magna dignitas hæc, & regno quouis ac consulatu maior. Qui diligit & ardet Deum, eligit potiùs vincula & CRVCEM ferre propter ipsum, quàm cælos inhabitare: non ita caput splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea & CRVX quæ propter Deum fertur. Potiùs mihi habetur malè affici pro Deo, quàm honorari à Deo.* Chrysost. Hom. 8. in Epist. ad Ephes.

Non omnes, inquiebat Staurophila, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est* à Patre. Paradoxam enim hanc Stauroſophiam, non caro & sanguis, sed Pater cælestis reuelauit. Ita est, respondebat Christus, abscondita sunt hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis. Nouerat hæc Paulus, paruus in oculis suis, magnus in oculis Dei, qui ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: dum enim infirmor, tunc potens sum.* Seipsum autē & aliis componens, dicebat: *Ministri Christi sunt? plus* Matth. 11. 25. 2. Corinth. 12, 9. 10.

ego. Hanc autem gloriam quibus sibi arro-
Ibid.c.11, 23.24.25. get titulis, quæso, animaduerte. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semèl lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* Ecce hæc illa sunt, in quibus vas illud electionis gloriatur.

Quoties vel audio vel lego hæc, toties, inquiebat Staurophila, prorsus in stuporem abeo: quis enim non miretur Apostolici pectoris inuictam patientiam, & robur illud animi quouis adamante fortius? Hominem mortalem, Apostolatus sui insignia & velut gentilitia arma recensere, morbos, pericula, ærumnas, famem, sitim, frigus, nuditatem, quę apud homines prorsus despicabilia! Quis sapiens, & intelliget hæc? Respondebat Christus: Non id adeò abstrusum, & mundo incognitum. nónne & Gentiles dixerunt:
Seneca l. de Prouid. cap.5. Agere & pati fortia, Romanum est? *Ignis aurum probat, miseria viros fortes. Numquam virtutis molle documentum est. Militares viri gloriantur vulneribus, quia calamitas virtutis occasio est: Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidijs: Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.* CRVX igitur lectissimos & glorio-

rioſiſſimos Dei oſtendit milites, & quis non in Domino glorietur, ſe hoc numero cenſeri? Fuit in hoc cenſu S. Secunda, *in cuius conſpectu cùm Iudex ſororem Ruffinam acerrimè virgis iuſſiſſet cædi, ita Iudicem interpellauit: Quid eſt, quòd ſororem meam honore, me afficis ignominiâ? Iube ambas ſimul cædi, quæ ſimul Chriſtum confitemur.* Breuiar. Roman. 10. Iulij.

Si gloriari oportet, inquiebat Staurophila, aut aliquando expediat, vera hæc demum gloria, ad Dei gloriam pati, & aliam nullam, niſi in Domino quærere. Quis mihi det ſimilem fieri in gloriâ Sanctorum; & non gloriari, niſi in CRVCE Domini mei Ieſu Chriſti? Tu, ô Domine, gloria mea, tu exultatio cordis mei, in te gloriabor, & exultabo totâ die: pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi, quærant mundani gloriam quæ ab inuicem eſt; ego hanc requiram, quæ à ſolo Deo eſt. O veritas mea, miſericordia mea, gloria mea, Deus meus, & omnia, tibi ſoli laus, honor & gloria, tibi ſoli benedictio, claritas, ſapientia, & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum, Amen. Ioan. 5, 44.

Qui sunt CHRISTI, carnem suam CRVCIFIXERVNT cum vitijs et concupiscentijs. Gal. 5, 24.



CHRISTE Deus, CRVCIFIGE *meam*, CRVCIFIGE *rebellem*
Hanc carnem, in vitium ne malesana ruat.

CAPVT XVIII.

Viæ CRVCIS *finis*, *carnis* CRVCIFIXIO.

Qui sunt Christi, carnem suam CRVCIFIXERVNT cum vitiis & concupiscentiis. *Gal.* 5, 24.

Christe Deus, crucifige *meam*, crucifige *rebellem*
Hanc carnem, in vitium ne malè sana ruat.

HIS dictis sermonem iterque se absoluisse credebat Staurophila: verùm occurrens Christus, Quod felix faustumque, inquit, via quidem confecta hactenus, nisi quòd altera superest cura, priore non paulò difficilior. Quænam hæc? aiebat illa. an non vniuersam iam absolui Stauropædiam? an non cursum consummaui? Consummasti, aiebat Christus, vtcumque cursum, metam tamen non prorsus attigisti. Quid igitur reliquum? subiiciebat Staurophila. Hoc, respondebat Christus, vt CRVCI, quam mecum hactenus tulisti, deinceps etiam affigaris. Meæ etenim finis Stauropho-

riæ hic fuit, vt baiulatæ tandem affigerer CRVCI. *Quidquid* enim *gestum est in* CRVCE meâ, *ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantùm dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, quæ hîc geritur. Ibi ergo se constituat Christianus, quò* ego *Christus eum* mecum *sustuli; & ad id dirigat omnem viam suam, vbi scit humanam saluatam esse naturam. Ibi,* ô Staurophila, *fige tui cursus profectusq; metam, vbi* ego *posui* meam. *Factus* enim sum *Patri obediens vsque ad mortem,* mortem autem CRVCIS. *Quantumlibet ergo cucurreris, si vsque ad mortem non peruenneris, brauium non apprehendis.* Hoc igitur seriò etiam agendum, siquidem mea esse velis. Egóne Domine, aiebat Staurophila, tua esse nolim, cui me totam iam pridem consecraui? Tua non sim, bone IESV? Auertat hoc Deus!

August. Enchirid. cap. 53.

Leo Serm. 19. de Pass.

Bernard. Epist. 245. ad Guarin. Abbat.

Alterius non sit qui tuus esse potest.

Et esse mihi potiùs non libeat, quàm sine te esse. Quid enim ego sine te, nisi palmes extra vitem, arbor sine radice, corpus sine animâ? Tua sum, Domine, tibi adhærere, bonum mihi & desiderabile.

Generosè, inquiebat Christus, loqueris, sed si verè, quod dicis, desideras, id facere necesse est quod meam te verè faciat. Quid illud, Domine? aiebat Staurophila. *Parata*

Psal. 118, 60.

sum,

ſum, & non ſum turbata, vt cuſtodiam mandata tua. Cui Chriſtus: Meus eſt, filia, qui ſuus non eſt. Et Staurophila: Tuus eſt, Domine, qui ſuus non eſt? quid hoc eſt, quæſo, ænigmatis? An non audiſti, reſpondebat Chriſtus, Apoſtolum dicentem: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs?* Quid enim hoc? niſi quòd meus non ſit, nec ſpiritum meum habeat, cuius non fuerit crucifixa caro. Et an hunc ſuum dixeris, *qui pro animi ſui motu membra ſua quoquam mouendi vel conuertendi non habet poteſtatem?* Suus ergo non eſt, qui crucifixus eſt: qui verò crucifixus eſt, ille verè meus eſt.

Gal. 5,24.

Caſſian. lib. 4. c. 35.

Congruit ſiquidem *deuotioni* fidelium, *vt qui crucifixi paſſionem celebrant, reprimendarum carnalium voluptatum* CRVCEM *ſibi ipſi* faciant. *In hac autem* CRVCE *per totam iſtam vitam, quæ in medijs tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere Chriſtianus. Hæc enim eſt,* ô Staurophila, *hominis vita tranquilla, cùm omnes motus eius veritati conſentiunt, & vocantur gaudia, & amores ſancti, & caſti & boni. Si autem conſentiunt, nihilominùs dum negligenter reguntur, conſcindunt & diſſipant animum, & faciunt vitam miſerrimam; & vocantur perturbationes, & libidines, & concupiſcentiæ malæ. De quibus vobis iam præcipitur,*

Beda in cap. 5. ad Galat.

Auguſt. l. 1. contra Manich.

cipitur, vt eas cum quanto potestis labore crucifigatis in vobis, donec absorbeatur mors in victoriâ.

Meritò, inquiebat Staurophilâ, CRVCI adiudicatur

Nazianz. Carm. 18. aduersus Carnem.

Exitiosa caro, mundi labentis amica;
Cælesti ac vitæ prælia dura mouens.
Hostis amica caro, blandissima pugna, bonumq;
Infidum, vetitos semper edensq; cibos.
Cænum, massa grauis plumbi, limosa catena:
Bellua pugnaci prodita materiâ.

Tecum enim sentio, mi Domine, crucifigatur caro, quæ concupiscit aduersus spiritum. Tolle, tolle, crucifige eam, quæ quotidianum mihi exhibet prælium. *Condelector enim* & ego *legi Dei secundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Igitur ego ipsâ mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rom. 7, 22.

Respondebat Christus: Libertatem hanc carnis adferet crucifixio, si nimirum mortificare didiceris membra tua quæ sunt super terram; in his enim vitia & concupiscentiæ residen. Cùm adeò necessaria, aiebat Staurophila, hæc crucifixio, ne molestum, quæso, sit, paulò clariùs eam ancillæ tuæ exponere.

Audi

Audi igitur, aiebat Christus, *Duo sunt* CRVCIS *genera, vnum corporale, aliud spirituale. Vnum à potu atque epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus coërcere, ab his, quæ per tactum & gustum, visumq; decipiunt, sensum viriliter reuocare, ac violenter abstrahere. Alterum* CRVCIS *genus est pretiosius ac sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare, iræ ac superbiæ impetus quasi feram bestiam refranare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam censurâ austeritatis, & rixam quodammodò cum homine interiore conserere. Pretiosa enim in conspectu Domini, & gloriosa* CRVX, *cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easq; regentis imperio subiugare.* Augusti. Serm. 20. de Sanctis.

Aliquantò iam meliùs capio, aiebat Staurophila, spiritualem hanc carnis crucifixionem: verùm, vt equidem arbitror, non fit illa sine clauis, quare de illis quoque nonnihil instrui velim. Rectè mones, aiebat Christus, sunt enim claui spirituales, quibus patibulo CRVCIS affigatur caro. An non Regius Vates dixit: *Confige clauis à timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui? Configat carnes timor Domini, & iudiciorum eius, & seruituti redigat. Quòd si carnes istæ reijciunt clauos diuini timoris, haud dubiè dicitur:* Psal. 118. sic legit Ambros. Augusti. & alij. Ambr. in illũ locum.

Non

Gen. 6, 3. *Non permanebit ſpiritus meus in his hominibus, quoniam carnes ſunt. Niſi igitur affigantur* CRVCI *hæ carnes, & configantur clauis à timore Domini, non permanebit in his ſpiritus Dei. Qui autem configitur, mortificatur vt peccato deficiat, Deo viuat. Habet & clauum ſuum charitas, felix qui eo meruerit* Cant. transfigi. *Valida eſt vt mors charitas, durus ſicut inferi, zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum, quia eſt duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida eſt etiam charitas, ſicut mors. Charitas ſicut mortis ictus interimit. His clauis charitatis configatur anima, configatur & caro, vt & ipſa dicat, quia vulnerata charitate ego ſum.* Optimi, aiebat Staurophila, hi claui, quibus ad optatam peruenitur libertatem! dulces claui, qui carnem cruciant, animam lætificant! ſuaues claui, qui carnem mortificant, ſpiritum viuificant! Verùm quis malleus eos mihi infiget? Cui Chriſtus: Ierem. 23, 29. *Numquid non verba mea quaſi malleus conterens petram?* Verbum Domini clauos timoris & amoris facilè tibi infiget, vt ad illicita deinceps non mouearis. Heb. 4, 12. *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* Vtinam Domine, inquiebat Staurophila,

rophila, hoc malleo transfigas clauis tuis carnem meam! vtinam timoris clauo pedes, amoris clauo manus ita CRVCI affigas, vt imaginem mortis tuæ in carne meâ exprimens, membra mea non ampliùs fiant *arma iniquitatis peccato*! Rom.6,13



Mihi mundus CRVCIFIXVS est, et ego mundo. *Gal. 6, 14.*



CRVX *mihi mundus, ego* CRVX *illi: mortua vivo*
Illi, quę pro me mortua vita fuit.

CAPVT XIX.

Vt mundus crucifigendus.

Mihi mundus CRVCIFIXVS est, & ego mundo. *Gal.6,14.*

CRVX *mihi mundus, ego* CRVX *illi: mortua*
viuo
Illi, quæ pro me mortua vita fuit.

BONVM, aiebat Christus, hoc tuum, ô Staurophila, votum, sed præter carnem & aliud etiamnum restat crucifigendũ. Dic, obsecro Domine, aiebat Staurophila, quidnam illud? Mundus, inquiebat Christus, & quidquid ad illum pertinet. *Sicut enim me exaltato in* CRVCE *dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm, & tunc conturbati sunt principes Edom, sic non aliter timebunt te dæmones, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te* CRVCEM *meam, nisi & tu potueris dicere, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Talem enim oportet esse Christianum, & hanc vocem semper habere in ore. Nihil hac mortificatione felicius. Hoc est beatæ vitæ fundamentum.* Origenes Homil. 6, in Exod. Chrysost. in cap. 6. Epist. ad Galat.

ita Domine, inquiebat Staurophila, oportet fieri, iam duo erunt in CRVCE vnâ, & non ego tantùm, sed & mundus mecum CRVCI affigendus. Non tibi mirum hoc videatur, aiebat Christus, nam dum ego *visibiliter in carne* CRVCIFIXVS *sum, inuisibiliter quoque in eadem* CRVCE *diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est* CRVCI, *tunc quod erat contrarium* vobis (vt Paulus ait) *tuli de medio affigens* CRVCI meæ, *exuens principatus, & potestates traduxi, liberè triumphans eas in ligno* CRVCIS. *Duplex ergo ratio* CRVCIS; *vna illa quâ* ego *crucifixus* vobis *reliqui exemplum; & hæc secunda, quâ* CRVX *illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.* Ad eamdem formam duo contraria tibi sunt crucifigenda, tu ipsa nempe mundo, & mundus tibi.

Origenes Hom. 8. in Iosue.

Colos. 2, 14.

Intricatius hoc mihi videtur, inquiebat Staurophila, quàm vt capere queam. Elucidabo igitur, aiebat Christus: *Mundo crucifigeris tunc, cùm veniens princeps huius mundi in te non inuenit quidquam: & tibi mundus crucifigitur, cùm peccati concupiscentias non recipis. Amor* CRVCIS meæ *vitam, mundi verò amor parit mortem: inuicem ergo sibi moriantur, & mundus* tibi, & tu *mundo. Mundum* autem intellige, *non cælum neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus,*

Origenes loc. citat.

Ambr. in cap. 6. ad Galat.

Chrysost. in cap. 6. ad Galat.

bus, famulitium, gloriam, opes; hæc & omnia quæ vulgo videntur esse magnifica, tibi *sint mortua*, & tu viciſſim illis. *Nec illa* te *capiant, aut manibus iniectis captiuum ducant, neque illorum cupidine tenearis.* Vtinam, ô Saluator mundi, aiebat Staurophila mundus cum flore ſuo, & ſæcularibus deſideriis in corde meo ita exareſcat, vt penitus mihi moriatur, & crucifigatur; nihil vt illius concupiſcam, nihil illius me delectet, nihil illius in me viuat! Reſpondit Chriſtus: Et *quando tibi crucifigeretur mundus, niſi pro te crucifigeretur, per quem factus eſt mundus?* Sine me, filia, nihil potes, in me autem potes omnia. Certiſſimum autem hoc adiutorium quod tibi in me, & per me eſt, ſatis inſinuauit Apoſtolus, dicens: *Mihi autem abſit gloriari niſi in* CRVCE *Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus* CRVCIFIXVS *eſt, & ego mundo.* Obſerua Staurophila, & expende illud, *per quem mihi mundus crucifixus*, hoc enim non poterat Paulus ex ſe, ſed tantummodò per me. Subijciebat rurſum Staurophila: Et ego Domine de abundantiâ gratiæ tuæ iam dicere mihi poſſe videor: *Mihi mundus crucifixus eſt. Omnia* enim *quæ mundus amat, delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes,* CRVX *mihi ſunt. Si autem mihi mundus crucifixus eſt, ſcio quia mor-*

Auguſt. de Verb. Apoſtoli.

Gal. 6, 14.

Bernard. Serm. 7. de Quadrag. Anſelm. in cap. 6. ad Galat.

mortuus est. Non diligo eum, scio quia præterit. Non concupisco eum, scio quia corruptela consumetur. Eum proinde quasi fœtidum vito, quasi lutum caueo, quasi nociturum relinquo. Benè id quidem, aiebat Christus, & non ad insipientiam tibi: sed bonum quoque ad vlteriora te extendere, vt non tantùm mundus tibi sit crucifixus, *sed & tu mundo.* Quid autem hoc? nisi vt talem te exhibere studeas, vt à mundo quasi mortua concupisci nõ possis: & sicuti mundi gloriam non quæris, ita nec mundi gloria te quærat, sed velut fœtens ab eo contemnaris? *Plerumque autem contingit, vt iam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus eum occupationibus astringat. Et ipse quidem mundo iam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim viuus adhuc mundus eum conspicit, dum alijs intentum, suis actibus aliò rapere contendit.* Inuehitur in similes Apostolus, cùm ait: *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viuentes in mundo decernitis?* Qui mundo mortuus est, quid adhuc negotiis mundi se implicat? Cùm non modò mortuum in corde suo mundum mortuis relinquere debeat sæcularibus, sed talis insuper esse, vt etiam iis *quæ mundus reputat* CRVCEM, *illis affixus sit, illis adhæreat, illa toto amplectatur affectu.*

Anselm. citato loco.

Coloss. 2, 20.

Bernard. loc. cit.

Sub-

Sublimis, inquiebat Staurophila, & Apostolicæ prorsus eminentiæ hic gradus est, quem Paulum designasse putauerim, cùm dixit: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* 1. Corinth. 4, 13. Anselm. in illum loc. *Tales* scilicet *mundanorum reputatione* erant, *vt totus mundus, illis sublatis, omnimodâ sorde* videretur purgatus, *adeò* denique *superflui & immundi, atque hominum vsui inutiles, velut peripsema, siue purgamentum ferri, vel corium pomi, quod vndique aufertur, vt ipsum pomum dulciùs comedatur.* Ita est, mea Staurophila, subijciebat Christus, non Apostoli dumtaxat, sed & vniuersi qui mihi seruire voluerint, mundo sunt despicabiles, quorum hæc iam olim ad Deum lamentatio: *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multùm repleti sumus despectione. Quia multùm repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Psal. 122, 4. Verùm, quod omnes seruos meos consolari debet, exiturus de hoc mundo ad Patrem præmonui & præmuniui eos, dicens: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15, 18.

Quàm bonum, Domine, aiebat Staurophila, & quàm iucundum immundũ hunc

mundum, qui tuos odio habet, perfecto odio odisse! Quàm vtile hunc sibi crucifigere, illique vicissim crucifigi! sed vnum hoc te obsecro, efficacem vt suggeras rationem, quâ incitata validiùs id velim & valeam.

August. 2. de Trin. Subiecit mox Christus: *In quantum Dei sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligis, in tantum carnalibus affectibus moreris, vt mortuum tibi hunc mundum deputans, ipsa huic mundo moriaris, & dicas: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nemo* enim *faciem, id est, manifestationem ipsius diuinæ sapientiæ potest videre, & viuere. Ipsa* enim *est species, quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tantò ardentiorem, quantò mundiorem: & tantò mundiorem, quantò ad spiritalia resurgentem: tantò autem ad spiritalia resurgentem, quantò à carnalibus morientem.* Atque hæc, vt arbitror, satis ad confirmandum te, ne conformeris huic sæculo, aut illius quidquam requiras. Vtique satis, aiebat Staurophila, nihil enim iam in mundo mihi placet, non ille me tenet, nihil illius teneo. Quidquid ille conferre potest, non me delectat adeptum, non contristat ademptum, vnicum hoc mihi votum, ô Amor meus! tibi adhærere, tibi vniri.

CA-

CAPVT XX.

Cum Crucifixo simul crucifigi oportet.

Christo confixus sum CRVCI.
Galat.2,19.

En meus est CRVCIFIXVS *Amor! me figite claui:*
Et liceat Domino cum moriente mori.



ERGENS porrò Staurophila, & cœptum continuans sermonem, ista subiunxit: Cùm toto corde te desiderem, ô dilecte votorum meorum, & iugiter ad te suspirem. Quid, quæso, est quod te hactenus, prout volui, inuenire non valui? *In lectulo* enim *meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Surrexi, & circuiui ciuitatem, per vicos & plateas quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Quid est hoc Domine? vsquequò non datur adhærere tibi, tibi coniungi, tibi vniri? Cant.3,1.

Inde scilicet, aiebat Christus, quòd cùm quæras, non quæras vbi oportet: tu enim me quæris in lectulo, in præsentis vitæ aliquantulâ requie, at ego non habito *in terrâ suauiter* Iob.28,13.

CHRISTO confixus sum CRVCI. Gal. 2, 19.



En meus est CRVCIFIXVS *Amori: me figite clavi:*
Et liceat Domino cum moriente mori.

uiter viuentium. Tu quæris per vicos & plateas ciuitatis, sed ego non in foro, non in publico, non in angulis reperior ciuitatis. Tu quæris in mundo, sed ego non sum de hoc mundo. Si carnem crucifixisti cum vitiis & concupiscentiis, si mundus tibi iam crucifixus, & tu mundo, & nihil iam aliud quærere quàm quod me delectat, ascende ad montem myrrhæ, ad montem Caluariæ, ibi inuenies cubile meum, in quo cubo, in quo requiesco, in meridie charitatis meæ. Ibi inuenies *ferculum Salomonis de lignis Libani*, super omnia enim ligna Cedrorum CRVX mea excelsior. Ibi, veluti *argenteas* inuenies *columnas*, clauos illos, qui ferculo CRVCIS me affixerunt. Ibi inuenies diuinæ naturæ meæ *reclinatorium aureum*, & *ascensum purpureum*. Fuit enim CRVCIS illa

Cant. 3. Ludouicus de Ponte lib. 6. in Cantic. exhort. 32. §. 4.

Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpurâ.

Venant. Fortun. in Hymno.

Ibi inuenies *mediâ charitate constrata propter filias Ierusalem*, medium enim CRVCIS ipse ardentissimâ flagrans charitate occupaui, offerens me in holocaustum diuini amoris igne combustum, vt filias Ierusalem ad me, meumque amorem & imitationem traherem. Eia igitur, dilecta mea, huc ascende, si quidem mihi desideras adunari. *Sequere* me *exaltatum à terrâ, vt non solùm supra te, sed*

Bernard. Serm. 4. de Ascens.

& supra omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, vniuersa quæ in terrâ sunt, deorsum aspiciens, & despiciens, sicut scriptum est:

Isaiæ 33. *Cernent terram de longè.*

Hoc, aiebat Staurophila, etiam atque etiam desidero. Sed dic, quæso, ancillæ tuæ,

Niceta Serronis in Orat. 42 Nazianz. *quanam ratione non solùm corporeo, sed etiam spirituali modo quispiam* CRVCEM *conscendat?* Nimirum, inquiebat Christus, *cùm per ærumnas & afflictiones supra res terrenas assurgit, ac tentationes carni dolorem inurentes, velut quosdam clauos lubenter excipit, vt beatæ vitæ dulcedinem afferentes.* Clauus enim pedes manusque penetrans, clauis est cælum reserans, portasque aperiens æternales. Vtinam Domine, aiebat Staurophila, conclauari & configi tibi possim, vt æternæ salutis suauitate perfruar! Huc CRVX, & claui te ducent, aiebat Christus. Vide autem an non ipsa crucifixi hoc insinuet figura & situs.

Basil Homil. de Baptism. *Quemadmodum* enim *qui crucifigitur mortis subiectus condemnationi, ab illis disiungitur, cum quibus aliquando vitæ commercium habuit, sublimior iam illis, qui in terrâ adhuc repunt factus: ita & qui mecum crucifigitur, ab omnibus in vniuersum, qui secundùm hoc sæculum viuunt, abalienatus est, & sublatâ iam mente, ad cælestem conuersationem exaltatus, verè & cum fiduciâ dicere poterit, Nostra conuer-*

uersatio in cælis est. Reuerà enim *qui patibulo* CRVCIS *affixus est, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curaq; distenditur, nullâ possidendi concupiscentiâ permouetur, nullâ superbiâ, nullâ contentione, nullâ æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniurijs, non præteritarum iam recordatur, seq; cùm adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illicò transiturum: ita* te *quoque timore* & amore *Domini crucifixam, oportet non solùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipsis elementis mortuam, illuc habere oculos animæ defixos, quò* te *sperare debes momentis singulis migraturam.* Cassian. lib. 4. c. 35.

Domine, aiebat Staurophila, *quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Amo te Amor meus Crucifixe, amo amorem illum tuum, quo *configi clauis voluisti, vt quicumque amat, frui iam liberè amore possit; illiusq; inhærere, & castis satiari amplexibus. Eueniat hoc mihi! sed neque satior amplexibus, ita auarus omnis amor est, nisi me totam sensero eisdem amoris clauis Amori meo confixam; vt nulla nos vis, tempestas nulla separare possit.* Ps. 72, 25. Carolus Scrib. in Amor. diuin. parte 2. cap. 8.

Quàm nunc sapis, charissima! inquiebat Christus, quàm diuina hæc tua vota! non caro

caro & sanguis reuelauit tibi, sed spiritus Patris mei, qui in cælis est. Eodem repletus &
Gal. 2, 19. Paulus, dicebat: *Christo confixus sum* CRVCI: *viuo autem iam non ego, viuit verò in me*
Dionys. Areopag. de Diuin. nom. c. 4. *Christus*. Animaduerte hîc vt *ecstasim faciat diuinus amor, amatores* suo statu dimouet, & *sui iuris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert*. Ecstaticus hic meus erga vos amor ita me rapuit, meipsum vt pro vobis exinaniuerim, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, & tandem etiam pro ho-
Dionys. loc. citat. minibus crucifixus. Sic & *Paulus cùm diuino amore flagraret, excessiuè illius virtutis particeps factus: Viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus; tamquam verus amator,*
Chrysost. in Epist. 2. ad Galat. *mentis excessum patiens. Vide* autem *exactam vitæ rationem, ac beatam illam animam admirare. Quoniam enim seipsum* mihi, & CRVCI totum *præbuerat, & ad* meam *voluntatem omnia faciebat, non dixit, Viuo Christo; sed, quod longè maius est, dixit, Viuit* verò *in me Christus.*

Admirari satis nequeo, aiebat Staurophila, quo modo dicat Viuo, &, Non ego viuo, sed in me viuit Christus; quasi enim hæc contraria sunt, Viuo & Non viuo. Non capis hoc? inquiebat Christus; lucem adferat hæc similitudo. Surculus aliquis naturali

excisus

excisus arbore, alteriq; insitus, priori illi omnino mortuus, in alterâ illâ, cui insertus est, tantùm viuit, & ab illâ succum & vigorem omnem trahit: non secùs qui mihi & arbori CRVCIS inseritur, priori, quâ mundo viuebat, vitæ extinctus succum gratiæ & virtutis à me solo fugit, & nouâ vitâ viuit in me. Habebat ita Paulus vitam, non quidem in se, sed in me. Viuebat, inquam, non tam ipse in se ipso, quàm in me, & ego in illo. Nam *qui* mundo mortuus *manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Non viuebat in Paulo natura, non concupiscentia, non voluntas propria; sed tantùm ego, qui gratiâ meâ quasi animâ & virtutibus, tamquam potentiarum motibus, eum ad omne bonum agebam & impellebam. 1. Ioan. 4. 16.

Quàm hoc, ô Domine, aiebat Staurophila, glorioſum! Næ ego felix omnino fuerim, si idem gratiæ tuæ munere mihi contingat! Hoc, ô Domine, votorum summa meorum, hoc æstuantis animæ meæ desiderium! Insere me tibi, ô arbor vitæ, vt moriar mihi, & viuam in te. Transfige me clauis tuis, & tibi, CRVCIQVE tuæ strictissimo annecte vinculo, numquã dissoluendo. Etenim in CRVCE

Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

O liceat tantùm, Amor meus crucifixe! Da hoc amanti, qui vocare dignatus es fugientem,

tem, inuitare repugnantem, allicere nolentem. Nunc, ô Sponſe ſanguinum, quod antè tantopere reformidabam, *mihi* pati cibus, crucifigi voluptas, *viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Nam *etiam moriendo non moriar, eò quòd Te Vitam habeo in meipſo.* Suſpendium hoc elegit anima mea, non quo moriar, ſed viuam. Nam quî moriar vitæ meæ pro me crucifixæ coniuncta? Quid in me, quæſo, mors iuris haberet, quæ

Philip. 1, 21. Chryſoſt. in Epiſt. ad Philipp.

——— mortua tunc eſt,
In ligno quando mortua vita fuit?

Breuiar. Rom. Feſto Exalt. Crucis.

Vbi eſt ergo nunc *mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Non timeo illum, ſi tu mortua. Sed ô vita animæ meæ! ô anima vitæ meæ! ſi tu moreris, libenter etiam tecum moriar. Quomodo enim viuam ſine vitâ, ſine animâ? Age igitur

1. Corinth. 15, 55.

Si iam fortè mori tibi ſtat ſententia, Chriſte,
CRVX *ferat vna duos, mors ferat vna duos.*

Scriban. Amor. diuin. part. 2. cap. 9.

Imò non iam duos, ſed vnum ex duobus coadunatum. *Qui adhæret Deo,* inquit Apoſtolus, *vnus cum eo ſpiritus efficitur.* Quid ergo qui tibi, ô dilecte, clauis connectitur? O vnicum bonum meum! æterna veritas, IESV mi! vni me tibi in veritate, nec diuellar à te in æternum. O! liceat in hoc amoris lecto cum dilecto viuere, cum Amore meo mori,

1. Cor. 6, 17.

cum

cum rediuiuâ vitâ meâ reuireſcere, & reuiuiſcere in nouitate vitæ glorioſæ.

Dicebat hæc CRVCI affixa, dilecto ſuo innixa & innexa Staurophila, iamque Amori ſuo immoriens, vltimum pænè exhalabat ſpiritum.

Delectatus autem languentis Sponſæ ſuæ amore Chriſtus, ita ſermonem concluſit: Eia columba mea, iam totius Stauropædiæ culmen tenes, metam nunc attigiſti, brauium accipies. Mihi hactenus compatiens, mecum iam conglorificaberis; mecum mortua, mecum viuificaberis; heres Dei, & coheres mihi futura regni cæleſtis. *Nam vt me, qui me humiliaui factus obediens vſque ad mortem, mortem autem* CRVCIS, *Deus exaltauit, & donauit nomen quod eſt ſuper omne nomen, ita &* omnes *eos qui mihi compatiuntur, & paſſionis* meæ *imitantur exemplum*, Deus mecum exaltat in gloriâ. Hæc namque VIA eſt, quam coheredibus meis, vt exaltentur, aperui. Hæc VIA quæ ducit ad vitam, & regnum æternum.

Origenes lib. 7. in Epiſt. ad Rom.

AR-

ARGVMENTVM LIBRI TERTII.

VItam quæ faciat beatiorem,
Christo Iudice, Christiane, CRVX *est*
Arbor nobilis & decora valdè,
Nulli germine, fronde, flore nulli,
Nulli multiplici secunda fructu:
CAP. I. & II. *Nam* CRVX *crimina tollit expiatque,*
CRVX *discrimina criminumque tollit,*
III. *Clausa limina cordium recludit.*
Et quisquam potes hanc vocare duram?
Mœstam, difficilem, dolore plenam?
Non est, credito, Christiane, non est;
Crèdatur licet. Vtilis, iucunda,
Honesta, & tolerabilis volenti est.
IV. *Hæc est quæ dubijs spei tenacem*
Anchoram tribuit natanti in vndis.
Hæc sed, heu! premit, inquis, exprimitque
Sudoris mihi defluentis imbres,
Largos purpurei cruoris imbres.
V. *Obe! nil metuas, suauis vuæ*
Hic sanguis Domino merum propinat,

Et

Et merum Domini tibi propinat.
Crux quid non facit? illa cordis ædem VI.
Deo construit & sacrat supremo.
Quid? quòd Crux quoque fabricet co- VII. &
ronam,
Pulchram, perpetuam, bonam coronam. VIII.
Ecquid amplius hisce iam requiras?
Deo iungere téne concupiscis? IX.
Aude: te satis efficace vinclo
Numini bona Crux, tibique Numen
Adstringet socium. O beate! quidnam
Iam tuis poterit deesse votis?
Seu iuuet celeri celoce cælum X.
Seu curru petere: vna Crux vtrumque, XI.
Et nauem tibi præstat, atque currum.
Quin scalas tibi malleumque præstat, XII. &
XIII.
Illis vt superæ Sionis arcem
Scandas, impete fortiore vt isto
Occlusi quatiens fores Olympi
Portas ingrediare sempiternas.
Felix ô Crucibus referta vita
Vitam quæ tribuit beatiorem!

REGIÆ VIAE CRVCIS LIBER TERTIVS.

De baiulatæ CRVCIS *fructibus.*

PRÆLOQVIVM.

Matth. 7, 14.



ARCTA *est* VIA *quæ ducit ad vitam.* Non vnus in CRVCIS semitâ occurrit cruciatus; pluribus illa anfractibus, laboribus ac periculis obsepta est, vt mirum minimè sit, si pauci eam ad finem vsque perambulent. Fatendum interim, tot vitæ spiritualis præsidia, tot pietatis adminicula, tot prærogatiuas atque emolumenta in eadem inueniri, vt qui accuratè illa voluerit expendere, facilè omnem, quæ deterrere aliàs poterat, superaturus sit difficultatem. Fructuum nempe spes amplissima labòris mitigat minuitque magnitudinem; quantumque hic reuocat, tantùm illa ad CRVCIS am-

amplexum, & ſuſcepti itineris continuationem prouocat.

Intellexit hoc dilecta Deo anima, quæ dicebat: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cant.7,8. Quid enim hoc? niſi, vtcumque aſper & ſcabroſus ſit palmæ caudex, quia tamen fructum habet dulciſſimum, intrepida aſcendam, vincamque quidquid durum, vt optatis tandem fruar fructibus. *Minuitur* enim *aſcendentis labor, dum fructus in arbore ſentitur odor; difficultatemque aſcenſus aufert dulcedo guſtus. Palma eſt Chriſtus, fructus eius ſalus; ſpes ſalutis in ligno* CRVCIS. Et verò ipſe Chriſtus *formam ſerui accipiens, acerbiſſimam* CRVCIS *mortem ſubire non dubitauit, eiuſque altitudines dolorum omnium & cruciatuum, ignominiæ atque dedecoris, non modò vicit, verùm etiam amabiles reddidit, & glorioſas planeque cæleſtes & ſalutares. Hinc Paulus egregius ille prædicator & doctor in* CRVCIS *ignominiâ & paſſione gloriatur, cùm dicit: Mihi abſit gloriari niſi in* CRVCE *Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hinc reliqui Apoſtoli, & ceteri fideles omnes, laborum præmia conſecuti ſunt, & conſequentur. In hac vnâ tentamenta omnia & ærumnarum tormina ſedantur atque vincuntur: per hanc animi perturbationes & vulnera, vel lethalia, feliciſſimè curantur.*

Hugo de S. Victore l.1.Inſtit. Monaſt. de beſtiis c.23. Phil.Carpath.in c.7.Cant. Gal.6,14.

Sed quòd abſconditi vulgo ſint hi fructus, hinc ſcilicet eſt quòd tardè adeò ad CRVCIS iter accingamur. Optima enim quæque natura celat, nec eorum pretium primâ fronte apparet. Aurum, argentum, rariora marmora terræ viſceribus altè abſtruſa iacent, vt nec eruta quidem aliam quàm vilis glebæ referant ſpeciem. Vniones, gemmæ, lapides pretioſi partim in conchylibus & limacibus, partim in bufonibus, & id genus inamœnis reperiuntur beſtiolis; primoque aſpectu deſpicabilia apparent. Pleraque aromata rudibus integuntur corticibus; at verò quàm intus hæc pulchra, pretioſa, & efficacia! Talis quoque CRVX, afflictio, & tribulatio; aſpera prorſus & horrida eſt, abſque eo quod intrinſecus latet: id verò niſi periti rerum æſtimatores aperiant, quid mirum ſi magno eam ſtudio paſſim & fugiant & auerſentur ignari? Qui autem abſconditum in eâ agnoſcunt theſaurũ, næ illi vel maximè amant & amplectuntur. E cælo accerſamus teſtimonium: Magnum illud Bæticæ decus Tereſia, à morte cuidam glorioſa apparens, affirmauit, ſe nullam ob rem luculentiorem in cælo recepiſſe mercedem, quàm ob labores, CRVCES, & dolores hîc exantlatos; ſeque, ſi vllâ ex causâ in terram optaret redire, non aliâ, mortalem hanc vitam cæleſtibus præpo-

Ribera l. 5. Vit. S. Tereſ. c. 4.

posituram gaudiis, quàm vt ampliùs pateretur. Maximi proinde momenti ad CRVCIS iter ritè emetiendum fuerit, hæc aliaque attentiùs considerare & expendere.

Non defuit hac in parte Staurophilæ nostræ suauissimus ductor, doctorque CRVCIS Christus. Oblatis enim toto itinere variis occasionibus, modò hunc modò illum CRVCIS explicabat fructum, vt ita & alacriùs viam capesseret, &, quod ex fatigatione suboriri solet, tædium animosiùs superaret. *Sunt* enim *qui in studijs spiritalibus fatigati: & versi in teporem, atque in defectu quodam spiritus positi, ambulant tristes* VIAS DOMINI, *corde arente & tædente, accedunt ad iniunctum* CRVCIS onus, *frequenter murmurant, longos dies, longas conqueruntur & noctes, loquentes cum S. Iob: Si dormiero, dicam, Quando consurgam? & rursum exspectabo vesperam. Ergo vbi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in* VIA *quâ ambulamus, & incipiat loqui de cælo qui de cælo est; nec non fauorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, ita vt pellat omne fastidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi*

Bernard. Serm. 32. in Cant.

Iob. 7, 4.

aliud vel pati vel petere ille videtur, qui ait:
Psal. 118, 28. *Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis?*

Verba autem vitæ æternæ,& mellitissimas consolationes Staurophilæ in viâ suggestas tertio hoc Libro seorsim describemus: vt ita de CRVCE, velut ligno vitæ, fructus spirituales, & iustitiæ manipulos colligere discamus.
Chrysost. Hom. 4. ad Pop. Antioch. Sic enim *agricola lætatur & gaudet tempestatem videns. Non enim præsentia respicit, sed futura; non respicit fulmina, sed manipulos computat; non marcescentia semina, sed vernantes spicas; non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem: sic & nos non præsentem spectemus afflictionem, sed orientem ex ipsâ vtilitatem, exq; ipsâ nascentem fructum. Exspectemus aream & manipulos, & non modò nihil graue ex* præsenti CRVCE patiemur, *sed & innumera bona capiemus.*

CA-

CAPVT PRIMVM.

CRVX *seruat à lapsu, vincit tentationes.*

VErbum CRVCIS iis qui salui fiunt, Dei Virtus est. 1. *Corinth.* 1, 18.

Ne labar, CRVCIS *hic fragiles labor atterit artus,*
Nam CRVCE *malo premi, crimine quàm perimi.*

VIXDVM Staurophila animo resoluerat se abnegare, CRVCEM tollere, Christum sequi; cùm simul tres validissimi atque vaferrimi hostes, Mundus, Caro, Dæmon, in eius perniciem coniurarunt. Vnicum his erat studium, à stadio CRVCIS Staurophilam reuocare, sæculo reddere, & per spatiosam viam in æternã præcipitare damnationem. Et nunc quidem aperto Marte, nunc ex insidiis aggredi decernunt. Occurrebat in viâ collis quidam prominentibus saxis hinc inde præruptus, non modicam ascendenti præbens difficultatem: iuxta hunc in dumeto quodam subdoli se abdiderant inimici. Qui vbi grauiùs ingemiscentem

Verbum Crvcis, ijs qui salui fiunt, Dei virtus est. 1. ad Cor. 1, 18.



Ne labar, CRVCIS *hic fragiles labor atterit artus,*
Nam CRVCE *malo premit, crimine quā perimit.*

audierunt Staurophilâ, opportunè prodeunt, & variis technis ad sē pertrahere conantur. Hinc illecebras suas explicabat mundus, & quidquid oculis gratum, dignitates, honores, titulos, & magna ostentabat nomina: inde suauè blandiens caro, voluptates, delicias, & quidquid sensibus amœnum proponebat, vt tantò grauior appareret CRVX, quantò hæc talia crederentur dulciora. Isthinc diabolus occultis & fraudulentis suggestionibus animum incitabat, atque hæc irritamenta malorum, quà poterat, ita depingebat, vt multò etiam appetibiliora viderentur. Hærebat inter hæc etiamnum tyro in scholâ CRVCIS Staurophila, & quid ageret, quid statueret, vix ipsa nouerat. Nam cùm tentatoribus his plusculum attenderet, neque ab eorum lenocinio generosè se expediret, prona iam ibat in præcipitium; & ruisset planissimè, ni benignissimus IESVS pone eam, ipso, quod gestabat, CRVCIS ligno retinuisset, & veluti fræno quodam reuocasset in viam. Post modicum porrò interuallum, quod ei ad se colligendum indulserat, ita eam affari cœpit:

Agnoscísne, Staurophila, virtutem CRVCIS? ecquid iam tibi videtur? Absque CRVCE fuisset, perieras funditus, hostium tuorum ludibrium & præda effecta. Quid enim

in præceps ruentem sustinuit, quid reuocauit, nisi sola CRVX? Cui Staurophila: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Misericordiæ enim tuæ deputo, bone IESV, quòd mala non perpetrarim, quòd in viâ peccatorum non steterim. *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs in inferno habitasset anima mea*. Quare *confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Psal. 88, 2.

Psal. 93, 17.

Psalm. 85, 12. 13.

Hem! istud sapere est, inquiebat Christus: & hoc intelligere te volebam; CRVCES, quas immitto, aut flagelli loco esse cùm peccas, aut fræni ne pecces. Paterna manus est, quæ lapsabundos crebrò verberat vt reuocet, carnificis, quæ tardè, sed semel punit. *Vt medici sanguinem interdum prouidè dimittunt, non quia æger sis, sed ne ægrescas: sic Deus per* CRVCES *quædam adimit, materiem aliàs & fomitem* futura *vitiorum.* * *Quosdam enim præsciens multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis ne peccent; vt eis vtiliùs sit frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.* * *Multi siquidem acceptâ sanitate lasciuiunt. Qui ægroti casti erant, sanati adulteri fiunt: qui dum ægrotarent, neminem lædebant, receptis viribus inua-*

Lipsius lib. 2. de Const. cap. 9.

*Isidor Hisp. lib. 3. de Summo bono c. 3.

*August. in Psal. 97.

inuadunt & opprimunt innocentes. O quàm multi sceleratè sani sunt, qui innocenter ægrotarent! Vitia reciduntur ægritudine. Nimirum *silueſcit vitis*,& in labruſcas degenerat, *niſi putetur: exorbitat homo, niſi flagelletur.* Exclamabat hîc Staurophila: *O Domine, refugium factus es nobis, non recedimus à te, bona das. Blandiris, ne fatigemur in viâ: caſtigas, ne aberremus à viâ. Quid ergo non miſericorditer præſtatur hominibus* à te, Domine, *à quo etiam tribulatio, beneficium eſt? nam res proſpera donum eſt conſolantis, res aduerſa donum admonentis. Et nuper me cuiuſdam amici languor admonuit, optimos eſſe homines dum infirmi ſunt. Quem enim infirmum aut auaritia aut libido ſollicitat? non amoribus ſeruit, non appetit honores, opes negligit.* Denique, vt quidam ait:

Auguſt. Tract. 7. in Ioan.
Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. c. 8.
Aug. Serm. de Verb. Dom.
Auguſt. Epiſt. 87.
Plinius l. 7. Epiſt. ad Maxim.

Luxuriat rarò diſcruciata caro.

Contrà verò,

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis:
Nec facile eſt æquâ commoda mente pati.

Ouid. l. 2. de Arte amandi.

Quàm verè hæc, aiebat Chriſtus, à te commemorata, tam velim eorum frequentiùs meminiſſe, &, cùm opus eſt, in opus conferre. Quò enim inſtrumentum, ſi eo non vtaris? quid iuuerit medicina, ſi eam non ſumas? quid proderit culter, ſi ad ſcindendum non adhibeatur? *Vtile quiddam eſt* CRVX

Auguſt. in Pſalm. 50.

&

& tribulatio, vtile Medici ferramentum, contra diaboli tentamentum. sed nisi vtaris, ipsum tibi reddis inutile. Aduersa corporis, remedia sunt animæ. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat: languor vires libidinis frangit. Quid ni igitur vt talia suscipias & amplectaris? Incensâ domo gaudet possessor, si restinguendo igni aqua adferatur: cùm peccati flamma in corde exardescere cœperit, misericorditer Deus tecum agit, si tribulationis aquam largiter super infundat. Væ autem his, qui in tribulatione positi, negligunt vitam emendare, & tam salutari remedio vti ad salutem. Vnde & Scriptura velut mirum quiddam enarrat, quòd ægrotauerit Asa dolore pedum vehementissimo & nec in infirmitate suâ quæsierit Dominum.

2. Paralip. 16, 12.

Agnosco, inquiebat Staurophila, agnosco, Domine, diuitias misericordiæ tuæ. *Voluisti* enim *filios tuos erudire, & exercere* laboribus, *vt non essent sine timore, ne amarent aliquid aliud, & obliuiscerentur te verum bonum suum. Bonus es Deus. Si cessares, & non misceres amaritudines felicitatibus sæculi, obliuiscerentur* tui. *Sed vbi angores molestiarum faciunt fructus animæ, fides quæ dormiebat, excitatur:* & conuertuntur ad te, auersi à cupiditatibus suis prauis.

Augustin. in Psalm. 93.

Sed & alium, aiebat Christus, elicere fructum

ctum è CRVCE licet; nimirum eam non fræni tantùm loco cohibere à malo, sed ipsos etiam malorum incentores, diabolum tentantem, mundum allicientem, carnem blandientem profligare ac prosternere. CRVX *enim armatura inuicta est contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius diabolicas insidias appropinquare nullo modo sinens.* In solâ CRVCE *cælestis victoria datur.* Et verò hac etiam gratiâ ego CRVCEM *humeris meis tuli, tamquam strenuus Dux lanceam, quâ deiecturus eram aduersarium, * vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. * Vt igitur Dux sumptis armis quibus facilè se tueri possit, ea dat etiam militibus suis, sic & ego feci, omnibus dicens: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat* CRVCEM *suam, & sequatur me.*

Martial. Episc. Epist. 1. cap. 8.

Euthym. in cap. 19. Ioannis.

* Eccles. in Præfat. de Cruce.

* Chrysost. Serm. 1. de Ieiunio.

Matth. 16. 24.

Benedictus es *Domine Deus meus*, inquiebat Staurophila, *qui doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Sed obsecro te, num hæc armatura Christiani militis à signo CRVCIS, an à CRVCE viuâ, quæ ipsum reuerà discruciet, sumenda? Cur non ab vtroque, aiebat Christus; signum enim CRVCIS contra omnium dæmonum machinamenta validissimum est præsidium. Huius signi *tanta est auctoritas & potestas, vt non*

Ps. 143, 1.

Cyprian. in Serm. de Pass. Dom.

non solùm Israelitica limina muniat, sed etiam ab his, qui Israeliticè non viuunt, solum Sacramenti signum repellat dæmonia. Nec minùs virium habet tribulatio. Vt enim sal carnes à putredine & vermibus præseruat, non secùs CRVX & afflictio mentem aduersus spirituales insidias præmunit. *Sapientis animus tolerantiâ rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus vt mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest.* Nam *animus contra calamitates fortis & contumax; luxuriæ non aduersus tantùm, sed & infestus est.* Et vide, quæso, num huc vltrò etiam Sancti mei confugerint, cùm blandientis Dominæ persentiscerent illecebras? An non Paulus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne reprobus efficeretur? An non Benedictus, cùm ei versutus dæmon speciem feminæ, quam aliquando viderat, obiecisset, tantoque libidinis igne animum eius accendisset, vt pænè de deserendâ eremo deliberaret, abiectis ilicò vestibus nudum se in vrticas & vepres abiecit, & tamdiu in illis se volutauit, donec *per cutis vulnera eduxisset vulnus mentis?* & vide quo fructu, *ex eo tempore, sicut pòst ipse discipulis perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid deinceps minimè in se senserit.* En quid agat tribulatio sponte af-

Cicero in Paradoxis.

Senec. l. 3. Natur. quæst. exord.

1. Cor. 9, 27.

Greg. l. 2. Dialog. cap. 2.

assumpta. Eodem spiritu Bernardus in lacum frigidâ tempestate, Franciscus in niues desiliit. Quorsum verò hæc? nisi quòd externa CRVX interiores tentationes vi suâ velut excutiat. Nisi igitur apprehenderis baculum CRVCIS, improbi canes latrare ac lacessere non cessabunt. *Si non vteris vndique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere.* Benè est, inquiebat Staurophila, abundè est, *Pone me iam, Domine, iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu: tu es patientia mea Domine, spes mea à iuuentute meâ.* In CRVCE triumphabo de hostibus meis, & non conuertar donec deficiant. O saluberrima CRVX quàm vtilis nobis es! ô quàm pauci agnoscunt potentiam virtutis tuæ!

Thomas à Kemp. lib. 3. de Imitat. Christi cap. 35. Iob. 17, 3. Psal. 70, 3.



CA-

Pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata. *Eccli* 2, 13.



Culpa animę vestem maculauit, lauit IESVS *Sanguine,* CRVX *reliquum pulueris excidiet.*

CAPVT II.

CRVX *emendat, & emundat à peccatis.*

Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata.
Eccli. 2, 13.

Culpa animæ vestem maculauit, lauit Iesus Sanguine, CRVX *reliquum puluerís excutiet.*



MENTALEM orationem summo manè Staurophila de more instituebat, atque hoc viatico quotidie munita in viam se dabat. Fuit cùm pro argumento expenderet, quanta animarum dignitas, quanta gratiæ pulchritudo, quæ eas velut byssino candenti & splendido decentissimè conuestiret. Deinde considerabat, quanta peccati deformitas, quæ totã animæ vestem fœtidissimo luto & stercore commacularet. Hæc dum in itinere, vt edocta erat, secũ subinde ruminaret, alto suspirio ita ingemiscebat: Eheu! quis *emundabit conscientiam* meã *ab operibus mortuis?* quis abluet à malitiâ cor meum? Vtinam deleantur iniquitates meæ, & expurgentur omnia delicta mea! Heb. 9, 14.

Cùm Christus ad interiores has voces respondens, Et hæc, inquit, Staurophila, virtus CRVCIS est, vt peccata deleat, conscientiam emundet, stolam animæ abluat, & super niuem etiam dealbet. Agnoscebat hoc prudens illa Sara, quæ Domino dicebat: *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* An non Ecclesiasticus ait: *Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata?* Et: *In die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Atque hinc est quòd opera illa, quibus peccata expiantur, & pro iisdem satisfit, pœnalia dicantur, & verè etiam sint; vt sicut culpæ delectatio æternum Numen offendit, ita voluntaria castigatio aut pœna patienter tolerata, Deum quoque placet ac mitiget.

Tob. 3, 13.

Eccli. 2, 12.

Ibid. 3, 17.

Memini, inquiebat Staurophila, hanc doctrinam mē aliàs quoque audiuisse: & magnâ sanè animi voluptate legi ab vniuersali Synodo definitum, *temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Iesum Christum satisfieri posse.* O quantum hoc beneficium! quanta afflictorum consolatio! Hoc siquidem pacto qui ritè cum CRVCIBVS & tribulationibus suis negotiari nosset, non modicum reportaret lucrum. *Etsi* enim *acerba & grauis*

Concil. Trident. sess. 14. c. 9. & can. 13.

uis est Dei ira; tamen cùm medendi vim habeat, eos, qui ipsam experiuntur, ad bonum prouehit. Ita est, inquiebat Christus, sed rari admodum sunt qui *considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea, quæ admitti poterant, compescit.* Nam *liuor vulneris*, vt ait Sapiens, *absterget mala: flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit.* Hinc *viri sancti, quia corruptionis suæ vulnus non sine putredine esse considerant, libenter se sub manum Medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat, quod sanâ cute intus occidebat. Peccatum* enim *sanies est; pœna, ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens, si non secatur, est in maioribus malis: ita peccans, si non puniatur, omnium miserrimus est.* Hoc igitur erat, aiebat Staurophila, quod sibi volebat Ioannes Abbas, qui rogatus vt tertianâ laborantem curaret, respondit ei: *Rem tibi necessariam cupis abijcere. Vt enim corpora nitro, vel alijs huiusmodi lenimentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus, alijsq; huiusmodi castigationibus purificantur.*

Didym. apud Damasc. l. 3. Parallel. c. 49. Gregor. Part. 3. Pastor. Admon. 13. Prou. 20, 30. Gregor. l. 7. Moral. cap. 7. Chrysost. Hom. 6. ad Pop. Ant. Ruffinus in Vit. Pat. lib. 2. c. 1.

Sed, obsecro Domine, quid illud est, quòd animæ quædam etiam purgatissimæ vitæ grauiùs plerumque discrucientur, cùm nefas videatur, vt illis noceat aduersitas, quibus nulla dominatur iniquitas? Respondebat

Christus: Non legisti quid de Patre meo, cælesti agricolâ, iam olim dixerim? *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Quid autem hæc purgatio, nisi tribulatio & CRVX? *Quod* enim *flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio homini iusto.* Purgatur hac, non destruitur: splendeat licet, & velut aurum rutilet, in fornace tamen tribulationis scoria eius excoquenda est. Nam & qui hominibus videntur perfecti, coram Deo suas etiam imperfectiones habent, à quibus eos, misericorditer sæuiens pius Pater, emundat, vindicans scilicet *in omnes adinuentiones eorum.* Considera mihi hîc *artifices*: illi enim *pleraque faciunt & ostendunt imperitis: & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc quid illis desit, vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accessisse, quas iam perfectas pronuntiauerant. Fit hoc & in ædificijs, & in picturis, & in vestibus, & propè in omni genere artium. Primò iudicant illud iam quasi perfectum esse, vt oculi eorum ampliùs nihil desiderent. Sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula. Sic* & viri *sancti versantur ante oculos Dei, tamquam sine culpâ, tamquam perfecti, tamquam Angeli: nouit autem quid illis desit, qui vindicat in omnes*

Ioan. 15, 2.

Laurent. Iust. Lign. vit. de Patient. c. 3.

Psal. 98, 8.

August. in Psalm. 98.

nes affectiones eorum. Vindicat autem non iraſcens, ſed propitius: & ad hoc vindicat vt perficiat cœptum, non vt damnet eiectum. O quàm vtiliter, inquiebat Staurophila, hæſitaui, quando tam luculenter ignorantia mea inſtruitur! Verè enim nemo mundus à ſordibus. *Dum* enim *per varias actiones vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Et quis eſt, Domine, qui non aliquid inquinamenti hîc aut ibi contrahat? *Septies cadit iuſtus.* & væ etiam laudabili vitæ hominũ, ſi abſq; miſericordiâ Redemptoris iudicetur! Leo Ser. 4. de Quadr. Prou. 24, 16.

Benè igitur, aiebat Chriſtus, *flagello* CRVCIS *puluis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas aſſiduata congeſſit*, vt *exterioris vulnere ſanetur plaga interior.* Purgari ille non vult, qui Dei flagella non admittit. Tribulationis virga omnem terrenæ conuerſationis puluerem excutit, vt animæ veſtis purior nitidiorque euadat. Bleſenſ. Epiſt. 31.

Mens etenim certa, & puri ſibi conſcia cordis,
Hoc plus ſplendeſcit, quò magis atteritur. Proſper Epigr. 52.

O quàm præſtans, aiebat Staurophila, hoc beneficium! Ecquis non ambiat feruentiſſimis votis, vt CRVCE aliquâ affligatur, vt ita animæ veſtis expurgetur? Memini enim eiectum in *tenebras exteriores*, qui *nuptiali* carebat *veſte*; & in cæleſtem illam Ieruſalem, Matth. 12, 11.

Apoc. 21, 27. *non intraturum aliquid coinquinatum.* Vt non minimum, inquiebat Christus, hoc beneficium; ita *magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. vnde & in Ezechiele ad Ierusalem, Iam, inquit, non irascar tibi, zelus meus recessit à te. Medicus si cessauerit curare, desperat. Laudanda* proinde *diuina dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, vt perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc premit, vt eleuet; ad hoc secat, vt sanet; ad hoc deijcit, vt exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid ei iustæ retributionis in terrâ subtrahitur, hoc illi in cælo multipliciùs cumulatur. Porrò autem Medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim quæ petierint alimenta relaxant: at quos erigendos esse conijciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia minaciter interdicunt: antidota insuper & amara propinant, vt per amaritudinis haustum, ad incolumitatis dulcedinem conualescant. Quid ergo mirum, si Medicus animarum, omnipotens Deus, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, viuere delectabiliter sinat; & quos ad vitam eligit, sub strictâ seueritatis suæ lege constringat? Nam & animalia, quæ in proximo mactanda disponimus, indulgentiùs victitare permittimus, & largiora illis alimenta præbemus: eorum verò penuriam & maciem paruipendimus, quæ ad vsum seminis, & ad propa-*

Hieron. Epist. 33. ad Castrut.

Ezech. 16, 42.

Petr. Dam. libr 8. Epist. 6.

propagandam sobolem reseruamus. Vites quoq; & fecundæ arbores putationibus subiacent, steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis euagantibus, quo liberiùs eò diffusiùs patent. De tuis igitur pressuris atque molestijs gaude, & totis in Domino visceribus gratulare. Quia quò magis affligeris, tantò magis animæ vestis expurgatur & expolitur.

Attollebat hîc vocem Staurophila: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Quis enim non putaret misericorditer agi cum peccatoribus, cùm eis parcitur, cùm nullâ pœnâ affliguntur? At verò *magnæ misericordiæ* iam *est, nequitiæ impunitatem non relinquere, ne cogatur* Deus *in extremo gehennâ damnare. O quanta pœna, nulla pœna!* Hoc nimirum est, inquiebat Christus, quod in Psalmis legisti: *Non audiuit populus meus vocem meam, Israël non intendit mihi.* Sed quid inde secutum? *dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Hoc & illud, quod per alium Prophetam dictum est: *Misereamur impio, & non discet iustitiam.* Quid enim est hoc, nisi, Si impiis miserearis & parcas, manebunt in suâ impietate, nec conuertentur ad iustitiam. Subiecit rursus Staurophila: *Misericordiam hanc ego nolo,* Domine, *super om-*

Rom. 11, 33.

August. Serm. 37. de Verbis Domini.

Psalm. 80, 12.

Isai. 26, 10.

Bernard. Serm. 42. in Cant.

nem iram miseratio ista, sepiens mihi vias iustitiæ. Satiùs profectò mihi iuxta Prophetæ
Psal. 2,12. *consilium apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & peream de viâ iustâ. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis deuium, non quâ extrudis de viâ : illud* mihi *tua benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio.*
Hab. 3,2. *Cùm enim sentio te iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Dicam igitur cum
Iob. 6,10. S. Iob, *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcas.* Domine hîc vre, hîc
August. seca, vt in æternum parcas.



CAPVT III.

CRVX *oculos mentémque aperit.*

Sola vexatio intellectum dabit auditui.
Isa. 28, 19.

Bos ego, corpus ager, CRVX *ſtiua, colonus*
IESVS.
Prô quantos fructus, ſi bona terra, feret!

SOLITVM CRVCIS-iter cum Chriſto ſuo Staurophila carpebat: accidit autem vt campum quemdam, in quo agricolæ terram aratro ſubigebant, tranſirent. Hîc oculorum curioſitati nonnihil indulgens Staurophila, boues arantes, colonos ſtiuam tenentes defixiùs conſiderabat. Chriſtus ab hoc ſpectaculo ad interiora eam ſuauiter reuocans, Vt, inquit, placet tibi hæc aratio, quam non indiligenter videris attendere? Senſit illa, emiſſitios oculos in ſe notari: pudore proinde ſuffuſa, hiſcere non audebat. At benigniſſimus IESVS modicam hanc noxam diſſimulandam potiùs quàm perſtringendam ratus, Præbet, inquit, & hoc ruſticanum opus, quod te in VIA CRVCIS erudiat; nec fruſtrà illud occurriſſe arbitre-

Sola vexatio intellectum dabit auditui. *Isaię 28, 19.*



Bos ego, corpus ager, CRVX stiua, colonus IESVS.
Prô! quantos fructus, si bona terra, feret.

ris. Quid enim similius CRVCI quàm aratrum? nam *bonus agricola cùm parat terræ solum vertere, non nisi per signum* CRVCIS *id facere conatur. Dum enim aratro dentale subjicit, affigit aures, stiuam inserit, figuram* CRVCIS *imitatur.* Atque hinc non difficulter elicies quid in arcano sensu sit aratrum ducere; id enim aliud non est, quàm *quasi quodam compunctionis instrumento, ligno, & ferro Dominicæ Passionis, duritiem sui cordis atterere, atque ad proferendos bonorum operum fructus aperire.* Est, inquam, *vomere* CRVCIS *terram subiecti exterioris edomare.* Nam *quemadmodum terra opus habet vt aretur & proscindatur, ita anima fidelis, pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, vt eius emolliatur durities, ne nimiùm efferatur & exiliat.* CRVX igitur aratrum est, ager ipse homo, agricola Pater cælestis.

Maxim. Taurin. de Cruce Domini Homil. 2.

Beda c. 41. in Luc.

Faustus Rhegiens. Epist. 2. Tom. 3. Biblioth. PP. Chrysost. Tom. 1. in Psal. 125.

Vixdum capio, inquiebat Staurophila, quid ex aratri huius ductu sperandum commodi. Quamquam enim CRVCES & afflictiones vomeris instar hominem totum conscindant, quorsum id tamen fiat, aut quo fructu, non vsquequaque intelligo. Scio autem, quòd *qui arat, in spe fructus percipiendi debeat arare.* Dicam apertiùs, inquiebat Christus. Vt aratrum terram aperit, & suscipiendo

1. Corinth. 9, 10.

piendo semini præparat; non secùs CRVX & tribulatio cor referat, ad semen diuini verbi excipiendum, & ad eius veritatem agnoscendam aptum reddit. Quod enim in prosperitate homines ignorant, id in aduersitate vel serò tandem cognoscunt. An non legisti, *Vexatio intellectum dabit auditui?* Vellicat enim surdascentem aurem CRVX, vt velit nolit attendere cogatur. Prosperitas verò stultorum aggrauat & obturat aures, vt audire nequeant. Appositè igitur de Deo scriptum: *Eripiet de angustiâ suâ pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius.* Quid autem est *aurem in tribulatione reuelare*, nisi *auditum cordis verberum plagis aperire? Cùm enim præcepta despicimus, piâ districtione nobiscum agitur, vt flagella timeamus. Aurem itaque cordis tribulatio aperit, quam sæpè huius mundi prosperitas claudit.*

Isaiæ 28, 19.

Iob 36, 15.

Gregor. l. 26. Moral. cap. 23.

Tandem, inquiebat Staurophila, capere videor, quod anteà ignorabam; nempe hoc est quod vulgò dici solet, Παθήματα, μαθήματα. *Nocumenta, documenta.* Vnde Crœsus Cyro dicebat: *Etsi molestiam mihi calamitates meæ attulerint, eædem tamen mihi doctrinæ loco fuerunt.*

Herod. l. 1.

Felices porrò illi, subijciebat Christus, qui hanc è CRVCE Philosophiam hauriunt! & ad paternas Dei castigationes oculos aperientes,

rientes, vitam emendant. Raphaëlis monitione edoctus Tobias impoſito felle, patris ſui oculos ſerenauit: & in Euangelio legis, luto cæcum à natiuitate fuiſſe illuminatum. Quid hoc aliud innuit, quàm aduerſitatibus & rebus naturâ contrariis mentis lumen reſtitui? Hoc eſt ergo CRVCEM illuminare, vexationem dare intellectum auditui. Fatetur de ſe id Regius Vates. *Conuerſus*, ait, *ſum in ærumnâ meâ, dum configitur ſpina. Benè* enim *confixus eſt, qui conuerſus exinde eſt; benè pungitur, quiſquis compungitur. Multi cùm ſentiunt ſpinam, corrigunt culpam.* Vis aliud exemplum? Magnus ille Babylonis Rex Nabuchodonoſor Deum non cognoſcebat cùm diceret: *Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei?* At poſtquam ab hominibus eiectus, cum beſtiis & feris habitauit, fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt; tunc tandem oculos ad cælum leuauit, tunc ſenſus illi redditus, tunc benedixit Altiſſimo, & agnouit quia non eſt qui reſiſtat manui eius. Impius Manaſſes & idololatra *ſectabatur auguria, obſeruabat ſomnia, maleficis artibus inſeruiebat, multaq; mala operatus* fuerat *coram Domino, vt irritaret eum:* poſtquam verò captus & *vinctus catenis atque compedibus du-*

Tob. 11, 13.

Ioan. 9, 6. & ſeq.

Pſal. 31, 4.

Bernard. Serm. 48. in Cant.

Dan. 4, 27

2. Paralip. c. 33. vſque ad v. 12.

ductus est *in Babylonem*, tunc *orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè Deo patrum suorum.* Tunc *cognouit quòd Dominus ipse esset Deus.* Prodigus ille adolescens in se reuersus non est, nisi postquam cœpit egere, siliquas cum porcis vorare, & tantùm non fame perire; ita multi benè facere nesciunt, nisi malè illis fiat: malè agunt, nisi malè cum eis agatur.

Luc. 15, 14.

Næ ille felix dicendus, aiebat Staurophila, cui percutiendo aperiuntur oculi, si anteà non videbat. Beatus ille, qui aduersitate illud cognoscit, sine cuius notitia cælo exularet. Aperuit ita oculos, aiebat Christus, Mauritius Imperator, qui immemor Dei vixit, cùm *millia aliquot innocentium Christianorum à barbaro immanissimè cædi passus est, quos minimo pretio redimere licuisset.* At cùm ex variis prædictionibus & *visionibus manum Domini ad vlciscendum agnouit, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi è calice iræ Dei poculum medicinæ, quod sibi prodesset ad peccatorum purgationem, & perfectam salutem. Ante oculos* enim *eius, iussu* Phocæ Imperatoris, *necati sunt quinque eius filij.* Tum ille compunctus, *altâ philosophiâ dixisse fertur: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Tandem & ipse Mauritius vltimo loco occisus est, cùm se casu superiorem in omni-*

Baron. an. Christi 602.

Cedren. in Annalib.

Psal. 118, 137.

omnibus demonstrasset. Vtinam, inquiebat Staurophila, ita saperent homines, ac intelligerent, ideò mala aut permitti aut immitti à Deo, vt mali esse desinant! sed *obscuratum est insipiens cor eorum*; non norunt hæc bona ex iis, quæ mala ipsi vocant aut putant, elicere. Tua autem Domine prouidentia etiam hæc talia ad eorum salutem ordinat. Rom. 1, 21

Hoc est, aiebat Christus, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ideò siquidem permittuntur etiam bonis accidere mala, ne summum bonum malè deserant, sed ad illud in malis potiùs recurrant. *Matrum plurimæ cùm nihil obsecrando proficere se viderint, laruas quasdam, horroriſq; ſtgmenta parant, atque* ita pueros *ad reditum impellunt; persuadentq; ad se iterùm recurrere.* Idem & hominibus contingit: *quando enim malignus ille* dæmon eos *perterret*, quando ingruit aliqua CRVX vel afflictio, *tunc frugi efficiuntur; tunc* seipsos *agnoscunt, tunc ad Deum omni studio recurrunt.* Rom. 8, 28

Chrysost. l. 1. de Prouid. Dei.

C A-

Auxilium de tribulatione. Psal. 107, 13.



Tuta salutiferę miseram CRVCIS anchora firmet,
Tota vel ęquoreis naufraga mergor aquis.

CAPVT IV.

CRVX *anchora spei, tessera salutis.*

Auxilium de tribulatione. *Psalm.* 107, 13.

Tuta salutiferæ miseram CRVCIS *anchora firmet,*
Tota vel æquoreis naufraga mergor aquis.



AMBVLANTEM aliquando ad littus IESVM, ponè cum CRVCE sequebatur Staurophila. Ecce autem sæuior quædam exorta procella incautam in mare deiecit. Cumque fluctuum voluminibus paulò iam abriperetur longiùs, illacrymans exclamabat: *Saluam me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meã.* Psal. 68, 1. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* vers. 15. *Eripe me,* Domine, *de luto, vt non infigar, neque absorbeat me profundum.* vers. 6. Cùm hæc & his similia altâ lugubriquè voce quereretur, Christus ad eam, Quid est, inquit, quòd ipsa tibi, quà licet, non succurras? An nescis CRVCEM, quam geris, anchoræ tibi loco esse, quâ in mediis etiam fluctibus firmam te reddas ac tutam? Dicebat hæc

Christus, & simul apprehensâ eius CRVCE, ad terram benè madentem, & tantùm non exanimem reduxit.

Post modicum temporis vt ad se rediit, ita eam allocutus est: Animaduertísne, Staurophila, hos aliosque, qui tibi in hoc itinere accidêre casus, totidem documenta esse, quæ aut VIAM CRVCIS cautè perambulare, aut virtutem eius multò maximam te edoceant? Ecce enim, quid aliud est præsens sæculum, quàm mare magnum & spatiosum, plenum procellosis voraginibus? Pelagus hoc longè lateque protensum, diuersis peccatis,& variis tentationibus, velut quibusdam fluctibus æstuat. *Mens quippe humana, quot tentationes patitur, tot flatibus mouetur. Hanc enim plerumque ira perturbat. cùm recedit ira, succedit inepta lætitia. luxuriæ stimulis vrgetur: æstu auaritiæ longè lateq; ad ambienda, quæ terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia eleuat, aliquando verò inordinatus timor in infimis deponit.* Et quàm *magnam faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ velut in quodam freto corporis nauigantem hinc atque inde perturbant, vt gubernator sui esse animus non possit.*

Gregor. l. 11. Moral. c. 23. in c. 13. Tob.

Ambros. Apol. poster. pro Dauid, c. 3.

Horresco, inquiebat Staurophila, auribus oculisque hauriens discrimina & fluctus, cum quibus mihi quotidie luctandum. *Quod enim*

enim mare abruptius quàm sæculum? tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum. Ambros. Præf. in 4. lib. super Luc.

Quis autem euadere pericula hæc poterit? quis emergere de profundis aquarum, de lacu miseriæ, & de luto fæcis? Nequis ego, aiebat Christus, fidere huic pelago te velim. *Noli credere, noli esse secura. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculum, intus est hostis. In illo æstu, charybdis luxuriæ salutem rotat. Ibi ore virgineo, ad perpetranda naufragia, scylla seu renidens libido blanditur. Hîc barbarum littus, hîc diabolus pirata, cum socijs portat vincula capiendis.* Hieron. Epist. 1. ad Heliod.

Sed enim, aiebat Staurophila, doce, quæso, benignissime IESV, vt me in hisce fluctibus dirigam. Docuit te, inquiebat Christus, Apostolus meus Paulus, cùm diceret: *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hebr. 6. 18. *Quemadmodum* enim *de naui quæ in anchoris est, rectè dicimus quòd iam in terrâ sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terrâ quodammodò educta est contra ventos, & contra tempestates; sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ* August. in Psalm. 64.

ſpes noſtra fundata, facit nos non abripi in ſaxa. Nec melior anchora ſalutari CRVCE, quæ ipſam ſuâ figurâ manifeſtè repræſentat. Echinus Marinus, quem fluctus vehementiores ad terram deuoluere, violenterque allidere ſolent, periculi metuens, vt vitæ ſuæ prouideat, ſpinis, quibus totus inuolutus eſt, minutiorem aliquem calculum colligit, vt eo ſe quodammodò libret ſtabiliatque contra procellas, ne earum vi in ſiccum propellatur. Idem & te facerè oportet. Sæuiant venti, exurgant procellæ, non tibi, ſed Deo adiutori tuo innitere. Me veram petram & lapidem angularem ſolle, illique firmâ ſpe inhæreas, & nulla te deijciet tempeſtas. Dic cum Prophetâ: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Inhærebat huic anchoræ tribulationibus vndique cinctus S. Paulus, *Scio*, inquiens, *quia hoc mihi proueniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti, ſecundùm exſpectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiduciâ, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.*

Anton. Balingh. in Soopadiâ, tit. Aduerſitas.

Pſ 72,28.

Philipp. 1, 19.

Sed & hoc euidentiùs intelligere velim, aiebat Staurophila, quî CRVX mihi futura anchora ſpei, aut quomodo in tantâ ſalutis in-

incertitudine tribulatio labantem animum ita fulciat, vt certam beatitudinis concipiat fiduciam. Num ignoras, aiebat Christus, tribulationem prædestinationis esse symbolũ? CRVCEM, arrham salutis, & æternæ beatitudinis tesseram? *Quem enim Deus diligit, per aqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perducit ad portum.* Et *quem* cumque *potioribus donis exornare sublimiterq; transformare decreuerit, eum non blandè & molliter lauare, sed totum in mare amaritudinis immergere consueuit.* Quo autem fructu? nisi illo, de quo Sara dicebat: *Hoc pro certo habet, omnis qui te colit* (ô Deus!) *quòd vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: quia post tempestatem, tranquillum facis; & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.* Apertiùs dixit Apostolus: *Si quid patimini propter iustitiam, beati. Hæc est enim gratia, si ptopter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Et quid clariùs, quàm quod ipse in Euangelio dicebam: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Certa* itaque *atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ* CRVCIS. Qui enim compatitur, & conglorificabitur. O amplissimum, aiebat Staurophila, spei fulcrum! ô quantum auxilium in tribulatione! Non

Lipsius Centur. miscel.

Blos. Instit. spirit. c. 8. §. 3.

Tob. 3, 21.

1. Petr. 3, 14.

1. Petr. 2, 19.

Matth. 5, 10.

Leo Ser. 9. de Quadr.

adeò CRVX affligere deinceps poterit, quàm exſpectatio æternæ ſalutis conſolari. Tu autem Domine, qui *dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius mitigas*, guberna me in hoc æquore, ne peream in fluctibus. *Vnco* CRVCIS *retrahe me ab hoc pelago ad te ſolamen vnicum, quem à longè (quaſi ſtellam matutinam & Solem iuſtitiæ) vix lacrymantibus oculis in littore cæleſtis patriæ me exſpectantem video. Exaudi Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè. In mari turbulento verſor; tu in littore ſtans, aſpicis pericula noſtra: ſaluam me fac propter nomen tuum. Da, Domine, inter ſcyllam & charybdim ita tendere, & tenere medium, vt vtroque periculo euitato, ſecura perueniam ad portum.*

Pſ. 88, 10. Auguſt. in Soliloq. Pſal. 6, 6.

CAPVT V.

Ex CRVCE *vinum spirituale.*

In mundo pressuram habebitis.
Ioan. 10, 33.

Si graue formides CRVCIS *hoc torcular acerbæ,*
Eia age, dulce bibas, quod fluit inde, merum.



VTVMNVS erat, & vuis colligendis aut vino torculari exprimendo passim exercebantur agricolæ. Non poterat id non frequenter in oculos mentemque Staurophilæ incurrere: nam quaquauersus pergeret, vindemiam cernere erat. Commoda hæc Christo visa occasio, vt more suo fructum aliquem CRVCIS discipulæ aperiret. Ita proinde infit: Non est, mihi crede Staurophila, quod tribulationis emolumenta luculentiùs repræsentet, quàm hæc botrorum, quam cernis, in torculari expressio, idque velim non indiligenter abs te considerari, ne sub pressurâ CRVCIS animo deficias.

Volupe mihi erit, aiebat illa, audire hoc mysterium, neque iniucundum fore sermonem suspicor de vino, *quod lætificat Deum* Iudic. 9, 13.

In mundo pressuram habebitis. Ioan. 16, 33.



Si graue formides CRVCIS hoc torcular acerbę,
Eia agę, dulce bibas quod fluit inde merum.

& homines. Mixta erit, inquit Christus, oratio, siue, vt ita dicam, suaui-amara; dulcedinem enim propinabit vinum, at pressuram & afflictionem exprimet torcular. Qualis qualis fuerit, aiebat Staurophila, grata erit; quia à sacro tuo ore, & de re saluberrimâ; quare tota iam audire gestio.

Principio, aiebat Christus, illud aduertere te velim, quid agatur in visibilibus torcularibus, & hoc ipsum spiritualiter agi in hominibus videbis. *Vua certè pendet in vitibus, & oliua in arboribus,* pro *his enim fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis suis, tamquam libero aëre perfruuntur: & nec oliua oleum est, nec vua vinum ante pressuram. Sic sunt & homines, quos prædestinauit Deus conformes fieri imaginis Filij sui, qui præcipuè in passione magnus botrus expressus est. Huiusmodi ergo homines, antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo, tamquam deliciosâ libertate, velut vuæ, aut oliuæ pendentes. Sed quoniam dictum est: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia venisse se cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc sæculo pereat, sed vt in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum in-*

Auguſt. in Pſalm. 83.

Rom. 8, 29

Eccli. 2, 1.

tegumentis, quasi vinacijs. Vnde Paulus ait:
Coloss. 3,9 *Exuite vos veterem hominem* cum actibus suis, *& induite nouum. Hoc totum non fit nisi de pressurâ, propterea torcularia nominantur. In pressuris constituti ad hoc conteruntur, vt amorem, quo ferebantur in ista mundana, sæcularia, fluxa, peritura* exuentes, *passi in eis in hac vitâ tormenta, & tribulationes pressurarum, & abundantiam tentationum, incipiant*
Psal. 9, 10. *quærere illam quietem, quæ non est de hac vitâ, & sit Dominus refugium pauperi:* & in hac pressurâ defluit vinum, defluit oleum, quæ sunt bona desideria.

Desidero, aiebat Staurophila, ô desiderium & satietas cordis mei, prælo CRVCIS quanta quanta sum comprimi, vt bona desideria de bono corde exprimantur. Scio enim
Auguſt. in Psalm. 55. quia in *torculari fructuosa pressura est. vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret.* Rectè dixisti, aiebat Christus: botrus enim quamdiu in vite pendet, nec in vini saporem liquatur, cui vtilis est? putrescet sensim, aut à volucribus cæli comedetur. Si verò in torculari prematur, vinum defluit, & in cellarijs reconditur. CRVCIS pondere hîc premi, tribula-

tio-

tionibus oportet fatigari, vt anima tamquam vinum in æterna tabernacula mereatur recondi. Erras profectò, Staurophila, erras, si cogites te integram & non probè contusam, peruenturam ad cælum. *Miserere mei Domine*, clamabat Dauid, *quoniam conculcauit me homo.* Dic & tu idem cum illo: sed *noli timere, quia conculcauit te homo, vinum habeto; vua facta es, vt calceris.* * *Vt enim botri vineæ calcati ac pressi lætissimum liquorem vini suo agricolæ atque vinitori effundunt: sic viri Dei iusti ac sancti diris cruciatibus atque pressuris hominum, botrorum instar, afflicti ac torti, per victoriam salutarem cultori Deo*, mihique *cælestem lætitiam de se pariunt ac promunt.*

Psal. 55, 1.

Augustin. in Psalm. 55.

*Philo. Carpath. in cap. 7. Cant.

Non reformido calcari, reponebat Staurophila, modò cælestibus recipiar vasis. O quàm glorioſum erit premi! quàm dulce cruciari! modò efficiar vinum suauissimum, *dignum Dilecto meo ad potandum, labijsq; & dentibus illius ad ruminandum.* Sitit enim anima mea refocillare sitim æstuantissimæ animæ tuæ, Domine Iesv, nostri amore languide. Meritò tu quidem id feceris, inquiebat Christus, debitum enim id meo in te amori. Et ingrata prorsus fueris, amantisque nomine parem digna, si gratiam referre negligas. Quanti enim mihi stetit, vt sponsæ meæ

Cant. 7, 9.

Isai.63,3. meæ vinum optimum propinarem? *Torcular* enim *calcaui solus, & aspersus est sanguis super vestimenta mea, & omnia indumenta*
Cant.1,13. *mea inquinaui.* Ego *botrus Cypri, in vineis Engaddi*, botrus Terræ promissionis è CRVCIS vecte suspensus, qui spiritalis vindemiæ, passionis scilicet meæ tempore, torculari CRVCIS expressus, vinum lætitiæ fidelibus propi-
Zach.9,17 naui. Hoc *vinum germinans virgines,* **ma-*
* Esther 1, 7. *gnificentiâ regiâ dignum,* * *vinum* verè *cor*
*Psal.103, 15. *hominis lætificans*, vt qui illud biberit, non
Psal.22,5. immeritò exclamet: *Calix tuus inebrians quàm præclarus est!* Magnum proinde non erit, si vt vicem mihi reddas, & ipsa velut vua matura in torculari conculceris, vt de-
August.in Psalm.55. fluente vino potes dilectum animæ tuæ. *Præpara* igitur *te ad pressuras, sed noli esse arida, ne de pressurâ nihil exeat.*

CAPVT VI.

CRVCE *homo fit templum Dei.*

Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?
1. *Corinth.* 3, 16.

Inspice, & ædifica mihi tale in pectore templum,
Quale tibi in molli CRVX *mea signat humo.*



D pulcherrimi cuiusdam templi occursum nonnihil subsistens Staurophila, ædificij magnitudinem, structuræ symmetriam, aliaque similia accuratiùs contemplabatur. Et paulò confidētior effecta, Christo dicebat: *Magister, qualis structura! & quales lapides!* Cui Christus, Opportunè, inquit, me ducis ad sacram hanc ædem, quæ interioris templi in animâ Deo exstruendi typum suggerit. Nam & hoc CRVCIS baiulatione perficitur, vt anima velut sanctissimum quoddam tabernaculum diuinæ Maiestati consecretur. Stupens ad hæc Staurophila, Egóne, inquiebat, Deo templum ex me & in me construam? Quid hoc quæso mysterij? Respondebat Chri- Marc. 13, 1

Neſcitis quia templum Dei eſtis, et Spiritus Dei habitat in vobis. 1 Cor. 3, 16.



Inſpice, et ędifica mihi tale in pectore templum,
Quale tibi in molli CRVX *nova ſignat humo.*

Christus: Tu quidē, ô Staurophila, *sublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata est: corpus hoc dico, quod sic cōpegit, quod sic aptauit, quod sic ornauit & ordinauit, vt gloriosè in eo & delectabiliter habitares. Sed & ipsi corpori domum fecit excelsam, aptißimam & decoram, dico autem sensibilem dico & inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, vt tibi ipse fecerit domum, tu verò ei templum ædificare dißimules? Propterea iam ne dederis, ô filia, somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec inuenias locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Bernard. Serm. 2. de Dedicat. Eccles. Psal. 131, 4

Sed, inquiebat Staurophila, *vbi inuenitur huius ædificij locus, aut quis potexit esse architectus? neque enim Altißimus in manufactis habitat. Quod ergo ædificabo templum ei, qui dicit, & verè dicit: Cælum & terram ego impleo?* Quid? respondebat Christus. An non legisti, Ego & Pater *veniemus, & mansionem faciemus. Iam* ergo *vbi præparanda sit domus Dei* facilè colligis: *quoniam non capit eum, nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirum ad eius imaginem est creata. Propter quod iam festina, adorna thalamum tuum, quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Exulta satis filia Sion, habitabit in te Deus tuus.* Illa admirans, ait: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Maiestas Domini mei ad* Bern. ibid. Ierem. 23, 24. Ioan. 14, 23. Isaiæ 62, 4. Zach. 9, 9. Lucæ 1.

ad me? quanta enim Dei benignitas? quanta dignatio? quanta gloria animarum, quòd Dominus vniuersorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubeat in illis. Cui Christus: Credisne, Staurophila, Scripturis? scio autem quòd credas. quid igitur illud est? *Templum Dei sanctum est, quod estis vos?* Et: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Eia igitur, ædificemus, spirituale hoc tẽplum. Nec est quòd de formâ anxiè quæras: nam Prophetæ olim dixit Deus: *Ostende domui Israël templum, & metiantur fabricam eius.* Audiui illud iam pridem, aiebat Staurophila, sed sensum eius assecuta non sum, nec modò quid sibi velit prorsus capio. Ipse Deus apud Prophetam, aiebat Christus, satis explicat quorsum velit figuram domus & fabricæ, & omnem descriptionem eius filiis Israël ostendi, nimirum *vt custodiant*, inquit, *omnes descriptiones eius, & præcepta illius, & faciant ea.* Voluit itaque instaurari templum iuxta ideam & dimensiones quas accuratissimè Ezechieli delineauerat. Templum autem Dei, quod quisque moliri debet, *non lapides aut lutum est, sed homo ipse qui figuram Dei gestat. Quod templum non auro & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur.* Nec mysterio vacat, quòd

1. Cor. 3, 16. 18.

Ezech. 43, 10.

Lactant. de Iust. lib. 5. cap. 8.

quòd idea templi CRVX sit. Cruciformes enim sunt pænè omnes, quæ Deo exstruũtur Basilicæ. Quin & in templo illo antiquo facilè videre est, totam illius formam ita fuisse dispositam, vt CRVCIFIXI viuam quamdam referret imaginem. Nam si in ipso vestibulo corpus extensum, vt meum in CRVCE positum fuit, imagineris, dexteram manum ad portam Meridianam, sinistram ad Aquilonarem, pedem vtrumque ad Orientalem spectare portam aspicies. Caput autem verget ad Sanctum sanctorum, vbi sedes erat Dei. *Caput* enim *Christi, Deus*. Altare verò holocaustorum in medio pectoris mei situm erat, in quo oblatum est illud sacrificium laudis, quò vno sacrificiorum omnium longè maximo omnia antiquæ legis sunt sacrificia consummata. A latere altaris dextro mare æneum collocatum, sanguinem & aquam à latere meo manantem referebat. Quid autem totum hoc denotat, nisi eum quem diuina Maiestas velut templum inhabitare decreuerit, vitam debere agere crucifixam, CRVCIsque mortificationem iugiter in suo corpore portare?

1. Cor. 11, 3.

Hæc ex Villalpan. tom. 2. l. 4. & lib. 5. variis locis.

Iam video, inquiebat Staurophila, quò templi illa tendebat exstructio, quam mihi non vno nomine tam seriò commendabas: hoc enim inde conficitur, vt qui CRVCEM

tulerint quotidie, magnâ Dei dignatione templum fiant diuinæ Maiestatis. Id scilicet volui, inquiebat Christus. Excruciati enim afflicti, infirmi, domus sunt & habitaculum Dei. Gloriatur enim Deus se cum his velut
Isa. 57,15. domesticis habitare. *Hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu.* Habitat ergo cum contritis, contusis, ærumnosis & afflictis. Et alibi, auersatus manufacta templa, disertè ait, se pauperculos & calamitosos po-
Isaiæ 66,1. tiùs inhabitare. *Cælum*, inquit, *sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum! Quæ est ista domus, quàm ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Viden' cum quibus, & in quibus Deus habitet? Et an non
2. Cor. 12, 9. Paulus idipsum testatur, dicens: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis?* quare autem? *vt inhabitet in me virtus Christi.* Quasi dicat: Libenter in morbis, doloribus & afflictionibus gloriabor, quia per ea, quasi in domo propriâ & tabernaculo suo inhabitat in me virtus & fortitudo Christi. Nam vbi deest humanum auxilium, ibi maximè adest diui-

diuinum. Vnde optimè Propheta: *Tibi de-* Psal.10,14
relictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Hoc si verum, aiebat Staurophila, immò quia verum est (nefas enim de eo vel leuiter addubitare) non verebor & ego cum vase illo electionis dicere: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* 2. Cor. 12, 10. Sed obsecro te, ô sapientissime architecte, doce vlteriùs, quo pacto templi fabrica debeat constrúi. Faciam id, sed breuiter, aiebat Christus, tu accuratiùs singula nota. *Primùm iacienda sunt fundamenta, quæ fides est, sine quâ impossibile est placere Deo.* Ex S. Doroth. Doct. 14. Hebr. 11,6 *Constitue deinde* supra fundamentum ædificium excellentissimum. Adijce lapidem obedientiæ: apponat & virtus alterum patientiæ lapidẽ: singulæ deinde adiectæ virtutes, singuli lapides erunt. Charitas annectet parietẽ parieti. Bitumen humilitas est, quæ ceteras virtutes, vt tales sint, efficit. Tectú timor Dei. Corona quæ supra tectum præcipitur in lege adhiberi, ne paruuli cadant, prudentia est. In hoc ædificio exstruendo tua desudet industria, vt habere inhabitantẽ spiritum sanctum possis.

Breui hoc compendio, aiebat Staurophila, multiplices virtutes commendari cerno, quarum singulæ plurimas habeant difficultates: & quî ego paupercula omnes has com-

parem? Quid vis? aiebat Christus. ex vno lapide non fit domus: plures, immò omnes virtutes ad spiritualem fabricam concurrunt; sed eas expetere & expectare oportet à Domino virtutum, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Iacobi 1,5.

Sed redeamus ad schema CRVCIS, quod potissimùm imitandum proposui. Scias autem, nisi errare velis, tibi seruandas omnes CRVCIS dimensiones, & in hoc exactissimè iuxta Apostoli mei institutionem incumbendum, *vt possis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Iuxta hanc formâ tota spiritualis machina dirigenda est. Latitudo CRVCIS est transuersum illud lignum, in quo porrectæ sunt manus; longitudo, ipsum CRVCIS hastile; altitudo accedit, si CRVX erigatur, est enim altitudo summitas CRVCIS erectæ; profundum, est infimum CRVCIS terræ infixum. Hæc iam mystico animæ templo applicemus. *Latitudo* sit charitas ad omnes, etiam inimicos, ita vt ex amore Dei homo nullam omnino refugiat CRVCEM, à quocumque demum illa, & quomodocumque proueniat. *Longitudo*, perseuerandi longanimitas, vt CRVCEM ferentes quotidie, in eâ perseuerent vsque in finem. *Altitudo* sit spes cælestium præmiorum: &

Ephes. 3, 18.

Ex August. Serm. 3. de Annuntiat. Domini, in Psal. 103. Hom. 3. ex Quinqua.

cor

cor sursum, siue directa in Deum intentio. *Profundum* quod in terrâ figitur & occultatur, inscrutabilia significat iudicia Dei; vnde timor, humilitas, & soliditas omnium virtutum. O quàm pulchræ dimensiones hæ templum non manufactum absoluunt!

Sed quis mihi det, inquiebat Staurophila, nulla vt earum fabricæ meæ desit? Tu Domine, qui eas docere non es dedignatus, pro bonâ voluntate tuâ ancillæ tuæ tribues. *Tu es* enim *spes mea* & refugium meum. Verùm, éstne aliquid aliud in hac templi substructione considerandum? Est, inquiebat Christus: lapides enim singuli ad CRVCIS regulam, & CRVCIS malleo debent conquadrari. Num te latet decantatum illud: Psal. 90, 9.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurimâ,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisq; iuncta nexibus
Locantur in fastigio.

Breuiar. Rom. in Hym. Dedic. Eccle.

Vis autem scire *quid sit quadrari? Attende similitudinem quadrati lapides, similem* enim te *esse* conuenit: *in omni tentatione*, in omni tribulatione stare oportet, *non cadere. Si impellaris, si quà vertaris*, noli *cadere*; *nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat.* Sed nec dolere fas fuerit, etsi instar lapidis dolari Augustin. Psal 86.

contingat. Tanti enim est effici domum Dei, vt quiduis pro eo meritò tolerandum sit. Neque ego, aiebat Staurophila, iam refugio tribulationem, nec CRVCEM respuo, quæ
Psal. 64, 5. me aptum faciat Dei habitaculum. *Templum* enim Domini *sanctum est, mirabile in æquitate:* & quid volo, nisi vt sanctificetur Dominus in me, vt ab eo inhabitante & ego quoque sancta efficiar corpore & spiritu? Id vtique, aiebat Christus, beneficio CRVCIS optimè assequêris: nam qui hîc seipsos præbuerint templum Dei viui, efficiuntur & ipsi
Psal. 121, 3 lapides viui, reponendi in cælesti illâ *Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas*, ad quã de peregrinatione hac suspirant desideria electorum. Quinimò non lapidem tantùm cælestis illius ciuitatis eum faciam, qui CRVCEM tulerit vsque in finẽ, sed maximis etiam honoribus
Apoc. 3, 12 augebo. Nam *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & scribam super eum nomẽ Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomẽ meum nouum.* O dulcissime Magister, inquiebat Stau-
Luc. 1, 38. rophila, *fiat mihi secundùm verbum tuum!* Eia veniat aliquando tẽpus illud, quo secundùm misericordiam tuam magnam promissiones tuæ, quæ omne desiderium superant, in me compleantur! Votorũ hæc summa meorum.

CA-

CAPVT VII.

CRVCI *decreta corona.*

Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apocal.* 2, 10.

Aeternam doctâ CRVX *fabricat arte coronam:*
O quantum est, Christi pro CRVCE *ferre* CRVCEM!



IA CRVCIS saxis aspera, vepribus horrida, longitudine tædiosa, tota denique angusta & permolesta, in maximas sæpè angustias Staurophilam conijciebat. Fuit, cùm pusillanimitate spiritus oppressa, seriò meditaretur viam deserere, CRVCEM abijcere, & tot exantlatos labores vnico momento reddere irritos. Sed *fidelis est Deus, qui non patitur* suos *tentari supra id quod possunt, sed facit etiã cum tentatione prouentum, vt possint sustinere.* Nam affulsit illicò afflictæ illi miserantis Christi benignitas, qui blandè eam consolans, *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Aspera est hæc via, nec inficior, & scio quanta sustineas; at noli deficere, hisce dolo-

1. Cor. 10, 13.

Apoc. 2, 10.

Esto fidelis vsque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. *Apocal.* 2, 10.



Æternam doctâ CRVX *fabricat arte coronam:*
O quantum est CHRISTI *pro* CRVCE *ferre* CRVCEM!

ribus æterna respondet corona. *Beatus* siquidem *qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Ad hæc Staurophila: Delectat quidem mentem immarcescibilis illa gloriæ corona; sed heu! nimiùm frangor & pænè fatisco. Cui Christus: Mitte querelas. *Nisi tentatio, nec corona; nisi certamina, nec præmia; nisi studia, nec honores; nisi tribulatio, nec remissio; nisi hiems, nec æstas.* Ergo *quando tentaris, cognosce quia paratur corona. Nónne tentatio Ioseph virtutis est celebratio? nónne iniuria carceris, corona est castitatis?* * *Vt gubernatorem nauis tempestas, Athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat.*

Iac. 1, 12.

Chrysost. Hom. 4. ad Pop.

Ambros. lib. 4. c. 4. in Lucam.

* Basil. Orat. 11. de Patient.

Ego verò, inquiebat Staurophila, imbellis miles, vires mihi deesse sentio, nec athleticè valeo depugnare, multò minùs vincere. Non pugnare te, Staurophila, sed tolerare doceo. Non inferre, sed perferre mala, coronam meretur. *Lædendo vincere, satanicarum legum est; ac proinde in Olympicis illis certaminibus, quæ in ipsius honorem celebrantur, sic coronam consequuntur qui decertant. At in spirituali palæstrâ, contraria coronarum lex est. Hîc enim lege sancitum est, vt qui percutitur, non qui percutit, coronâ donetur. Hoc demum*

S. Isidor. Pelus. l. 2. Epist. 169.

cæleſte ſtadium, hoc Angelorum theatrum meritò eſſe creditur.

At durum eſt, inquiebat Staurophila, per ſaxa, per ſentes & ſpinas graue hoc pondus CRVCIS circumferre. Quid times ſpinas? reſpondebat Chriſtus. an non de illis creſcunt roſæ, quibus coroneris in cælis? Ne verearis igitur, mea Staurophila, ad imitationem capitis tui, pro te ſpinis coronati, ſentes & vepres pro diademate & ſerto decôris tibi imponere, & ego dabo tibi coronam de lapide pretioſo. Elige, cum electâ meâ Catharinâ Senenſi, hîc ſpineam, vt poſteà recipias coronam auream.

Domine, vt video, inquiebat Staurophila, aurea hæc corona magni conſtat, & incudem & malleum pati oportet vt fabricetur. Quid ni ita fiat? aiebat Chriſtus, *afflictiones coronæ horum ſunt, qui in eis certamen ſuſtinent.* Nónne *& ſuper dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam?* Si iam & iuſti inter malleum & incudem ponantur, *ipsâ impiorum malleatione Deus eis coronam gloriæ componit.* Habeto igitur & tu mentem fixam & duram ſicut *incudem, vt per alternos malleorum ictus & crepitus percuſſa, ludibriis & maledictis irriſionibuſq; laceſſita, iniurijs affecta, infracta, & in nullo læſa ſeu diſſoluta perſeuerans, tota*

S. Nilus in Paræneſi.

Pſal. 128, 3

Bleſenſ. Epiſt. 134.

Climach. Grad. 4.

lenis

lenis & plana immobiliſq; perſiſtas. Malleum autem non pati, mollis eſt animi. Opportunè nonnemini Pythagoras dicebat: *Etſi argentum ſis, ex te tamen nec obolus probæ monetæ fiet, cùm tam impatiens exiſtas.* Ita tibi quoque iure dixerim, quamuis argentea, quamuis aurea ſis, pluribus precibus Deum fatiges, nullius tamen pretij es, quia malleorum impatiens: & ideò ex te pretioſa non fiet corona. Quibus verò infractus inter aduerſa ſtat animus, næ illi ſplendidiſſimas ſibi fabricant coronas. Talis S. Secunda Martyr, quæ tyranno aiebat: *Gloria nominis Chriſtiani verberum ictibus augeſcit, & tot conciliat* CORONAS *ſempiternas, quot temporarijs flagellorum ictibus pulſatur.* Quid verò hinc conſequitur, niſi quòd vbi deeſt CRVX, vbi deeſt malleus, defuturam quoque coronam? Crede mihi Staurophila, *Si tribulationes* Sanctorum *crudeli miſeratione minuantur, paulatim gemmis corona ipſorum priuatur; quia quantò in hoc ſæculo* magis *fuerint afflicti, tantò poſt reſurrectionem maioribus honoribus extollentur.*

Drexel. Gymnaſ. patient. part. 2. c. 1. §. 3.

Surius in Vitâ 10. Iulij.

Laurent. Iuſt. in Ligno vitæ de Patient. cap. 3.

Non leuis, inquiebat Staurophila, ſub CRVCE perſeuerandi mihi indicitur neceſſitas. Nam ſi abſque eâ periculum ſubeo amittendi æternam gloriæ coronam, quiduis potiùs toleraverim, quàm huic me diſcrimini expo-

Apoc. 3, 11 exponam. Et Christus: *Tene*, filia, *quod habes; vt nemo accipiat coronam tuam.* Si CRVX premat, malleus contundat, tribulatio affligat, non tristia hæc nimiùm consideres, sed oculos conijcias in eam quæ tibi repromittitur coronam. Hæc dolorem minuet, & leuior erit omnis CRVX, quam huius condierit consideratio.

Cyprian. l. 4. Epist. 6. de Exhort. Martyrij. *Ad agonem sæcularem exercentur homines, & parantur, & magnam gloriam computant honoris sui, si illis, spectante populo, & Imperatore præsente, contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coronæ cælestis præmio glorioſus, vt spectet suos certantes Deus, & super eos, quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis spectaculo perfruatur! Quanta gloriæ dignitas, quanta felicitas, præside Deo coronari!* Verè hoc magnum, inquiebat Staurophila, sed quotusquisque horum in ipso certamine recordatur? Non legisti, aiebat Christus, quantus ad passionē stimulus fuerit Quadraginta Martyribus, & carceris custodi coronarum, quas exspectabant, intuitus. Cùm enim ob fidei confessionem vinculis constricti hiemis tempore frigidissimo, nudi sub aperto aëre *pernoctare iussi* essent, *vt frigore congelati necarentur*, ita orabant: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine,*

Breuiar. Roman. 9. Martij.

coronā

coronâ donemur, ne vna quidem huic numero deſit. Cùm autem ianitor carceris *quoſdam è cælo deſcendentes Angelos, tamquam à Rege miſſos, qui coronas triginta nouem militibus diſtribuerent, intueretur, ita ſecum loquebatur: Quadraginta hi ſunt, quadrageſimi corona vbi eſt? Quæ dum cogitaret*, vidit vnum ex illo numero, cui *animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum deſiliiſſe*. Sed ille coronæ incenſus cupiditate, excitatis cuſtodibus, veſtes ſibi detraxit, *ac Chriſtianum ſe clarâ voce profeſſus, Martyribus ſe adiunxit.* Tanti momenti eſt coronam reſpicere, coronam meditari! Cogita, quæſo, quâ lætitiâ exultabis, quo gaudio perfundêris, cùm dulciſſimâ voce ſponſum animarum aliquando dicentem audies: *Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum?* Breuiar. Rom. Ant. de Virg.

CAPVT VIII.

Maiórne CRVCI *& paßionibus, quàm actionibus corona reſpondeat.*

HIS dictis, ad alia properabat Saluator, niſi Staurophila retinuiſſet; Supereſt, ô Domine, inquiens, nodus quidam, quē num ſciendi curioſitas, an coronæ cupido nexuerit, haud ipſa ſcio. Tu, ô æterna ſapientia, iudicabis, & ſi mereatur, etiam diſſolues. Propone, inquiebat Chriſtus, vt audiam. In hōc enim patientiæ ſtadio etiam ad diuerticula quædam deflectere, minimè mihi moleſtum, dummodō in Viam redeamus. Ab eâ, inquiebat Staurophila, quæſtiuncula mea non abibit: quin potiùs, vti credo, eam promouebit. Sed quid moras necto? quod me remoratur hoc eſt: Anne amplior & pretioſior corona repoſita ſit CRVCEM ferentibus, quàm ijs, qui abſque eâ multis bonis incumbunt operibus? Nolo te lateat, Staurophila (inquiebat Chriſtus) bona agere, & mala pati, Chriſtianum, hoc eſt, tuum eſſe; vtrùm autem præſtet, maiorive dignum præmio, tum dicam, cùm ipſa, vnde hoc tibi inciderit, aperueris. Legebam, inquie-

inquiebat illa, nuper sanctæ Lydvvinæ virginis Vitam, & in eâ, vt generosissima illa Dei Sponsa vigesimum octauum in suâ infirmitate agens annum, cùm incredibili Martyrij arderet desiderio, in mentis excessu viderit *coronam pretiosissimam, gemmis diuersorum colorum variegatam, necdum tamen in orbem penitus absolutam. Ad se autem vt rediit, cogitabat quænam illa esset corona, petiitq;* à Domino varijs afflictionibus exerceri, vt orbem hunc absolueret. Exaudiuit eam Deus; & ecce quidam milites cubiculum eius ingressi indignis modis corpusculum eius variè afflictum, & hydropisi tumidum, absque vllo pudore contrectant. Addunt turpissima conuitia, vocant bestiam, prostibulum, voracem, & multa alia, nec paucis eius vulnera cumulant vulneribus, ita vt sanguis in paleas vicinosque pannos defluueret. Post illorum discessum, Angelus ad eam venit instar Solis splendidus, aitque: *Saluæ charissima soror; ecce nunc absoluta est* CORONA, *quam nuper imperfectam vidisti; ludibria & vulnera corpori tuo imposita fuêre gemmæ, quas in illâ* CORONA *& adesse vidisti, & deesse*. His lectis, ita mecum ratiocinabar: Quid est quòd illuminatissima hæc virgo, non vnâ CRVCE tot annis excruciata, nouas flagitarit tribulationes, vt CORONAM suam

Ioannes Brugmannus in Vitâ part. 3. c. 6. apud Sur. tom. 2.

ſuam exornaret atque perficeret? Cur, quæſo, bonis operibus id potiùs conata non fuit, niſi quòd tribulationis malleo eam citiùs ſciret abſolui? *Nam quos manet* CORONA, *exſpectat iniuria. & per dolores quibus hîc afficimur, vel peccata expiamus, vel, ſi non tot peccata habemus, ſplendidiores* CORONAS *accipimus.* Confirmabat me quoque in hac opinione & illud quod de ſanctâ Gertrude legeram, quæ cùm *noctem duxiſſet inſomnem, atque inde plurimùm debilitata, viribuſq; eſſet deſtituta, obtulit huiuſmodi defectum Domino, in laudem æternam, ad ſalutem omnium. Cui dixit Dominus: In infinitum acceptius mihi eſt, dum quis in infirmitate ſuâ poſt conſumptas per vigiliam vires, defectum illum virium humiliter ſuſtinendo, mihi offert, quàm dum aliquis corpore ſanus, qui benè vigilare poteſt, totâ nocte in oratione pervigilat.* en cauſas dubitationis noſtræ.

Ambr. l. 1. Offic. c. 15 Greg. Nyſſen. apud Damaſc. lib. 3. Parallel. c. 49. Inſinuat. diuin. pietatis lib. 3. cap. 70. & Bloſ. in Monili c. 9

Vt video, aiebat Chriſtus, non extra ſemitam ambulas, neque improbare velim probabilem hanc tuam collectionem. *Etenim exigua moleſtia propter Deum æquanimiter tolerata, incõparabiliter præſtantior eſt, quàm ſint multa & grandia bonorum operum exercitia.* Atque *homini vtilius eſt, etiam modicum grauamen patienter pro Dei honore vel amore ſuſtinere, quàm grandia opera patrare.*

Bloſ. in Inſtit ſpiritual. c. 8.

Idem in Speculo Spirit. c. 8.

Et

Et quid dicam? *Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quàm libenter pati pro Christo tuo, & si quidem aliquid melius & vtilius saluti hominum, quàm pati, fuisset, id vtique verbo & exemplo ostendissem.* Quantum consolationis, inquiebat Staurophila, est in verbis istis! quantum lætitiæ calamitosis & afflictis hæc adferre debent! cùm vident, maiorem se fabricare CORONAM, quo plures & grauiores pertulerunt CRVCES. Sed absconditum est hoc verbum à cordibus multorum, & fortè fidem vix inuenerit. Thomas à Kemp. lib. 2. de Imitat. Christi, cap. 12.

Cur autem, inquiebat Christus, non credant? an non Sancti quique in eâ se fuisse mente testati sunt, cùm CRVCIBVS & morbis ab aliis functionibus, multisque actionibus bonis præpediti, neutiquam questi sunt, meritorum quæstum hoc pacto sibi imminui? Quid? quòd & in beneficijs CRVCES numerarint, atque hoc nomine vel maximè sibi fuerint gratulati. *Magna* enim hæc *dignitas, & Regno quouis ac Consulatu maior.* Neque pro Deo pati cuiuis passim conceditur, estque id magnarum virtutum, præstantissimarumque actionum, pro Dei gloriâ proximique salute obitarum, merces amplissima. Vnde meritò, Philippensibus gratulatur Apostolus, quòd ijs *donatum* esset *non solùm* Chrysost. Hom. 8. in Epist. ad Ephes. Phil. 1, 29.

vt in Christum *crederent, sed etiam vt pro illo paterentur.*

Subit animum, inquiebat Staurophila, quemdam huius animi fuisse, qui frequenter ægrotaret. *Contigit* autem *vt vno anno nulla eum* aduersa *contingerent*: hîc bonus ille cœpit affligi, flere, & grauiter etiam queri, ac dicere: *Reliquisti me, Domine, & noluisti me præsenti hoc anno visitare.* Et alius paris patientiæ, in morbo cibum recusabat à Fratre oblatum, dicens optare se in eâ infirmitate ad alios triginta annos à Deo relinqui. Abstinuissent, ni fallor, his votis, si tantumdem bonis exercitijs, quantum malorum perpessione, sperassent consequi.

Ruff. in Vitis Patrum lib. 3. num. 158.

Pelagius l. 5. in Vitis Patrum num. 65.

Sed reduc me etiam in memoriam, subijciebat Christus, qui mundi Redemptor & Seruator sum. Vide autem cuinam operi humani generis redemptio potissimùm adscribatur. Erat vnaquæque actionum mearum meriti prorsus infiniti, & tamen mundi salus passioni, morti, & effuso maximè tribuitur Sanguini. Quàm crebrò cantari audiuisti: *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi, quia per* CRVCEM *tuam redemisti mundum.* Altiùs, inquiebat Staurophila, extolli CRVX nó poterat, Domine, quàm vt instrumentum fieret redemptionis nostræ. Nihil ad tribulationes seu mitigandas, siue commendandas

Missale Roman.

das meliùs excogitari, quàm quòd per illas saluus fieret mundus. *Quàm magnificata sunt operatua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Psal. 103, 24. Quis igitur, inquiebat Christus, dubitet, num plus actionibus an perpessionibus tribuendum? cum his peculiariter reconciliatio humani generis, peccati expiatio, reseratio cæli, diuino decreto fuerit reseruata? Et discite hinc, filij Adæ, populus acquisitionis meæ, quanta peccati grauitas, quæ tali tamque operoso egebat remedio: discite quanti mihi steterit vestra salus, quamque eximius meus erga vos fuerit amor: discite tribulationum & CRVCIVM dignitatem; & vt mei gratiâ dura quæque toleranda sint, qui tam atrocia, tamque immania pro vobis, cùm adhuc inimici essetis, pertulerim.

Vnicum hoc tuum, mi Redemptor, exemplum, aiebat Staurophila, assensum non tam petit, quàm extorquet. Nec video quî reluctari vltrà quis posset. Quid si & alterum, aiebat Christus, puri hominis adiecero, confectúmne videbitur negotium? Confectum, aiebat Staurophila. Tum Christus: Specta mihi igitur *maximum* illum *patientiæ certatorem, & immobilem petram, Iob,* & bonos eius actus cum passionibus compone, & iudica *vnde amplius illuxerit. Quandónam erat Iob illustrior, quando domum suam omnibus ad-*

Chrysost. Epist. 7. ad Olympia. paucis hîc & ibi prætermissis.

uenientibus aperuit, an cùm ea ruente, verba amara non protulit, sed potiùs Domino benedixit? Cùm hoc quidem virtus esset, istud ærũna? Quando splendidior erat, dic mi, cùm sacrificabat pro filijs suis, & eos ad concordiam congregabat: an cùm defossi, & amarissimo genere fuissent mortis extincti, cùm magnâ Philosophiâ pertulit quod euenit? Quando potiùs ille radiauit, quando de tonsurâ ouium suarum calefacti sunt humeri nudorum: an cùm audiens ignem descendisse de cælo, & exedisse cum Pastoribus greges, non est commotus, neque turbatus, sed amantissimè pertulit casum? Quando maior illuxit, cùm sanitate corporis ad oppressorum patrocinium vtebatur, conterens molas iniquorum, & ex medio dentium rapiens rapinam, miseris portus existens; an cùm hoc idem corpus eius, hoc est indigentium scu-

Iob 2. *tum, vermibus videbatur absumi, sedens in stercore, & testâ illud radens. Impleo, inquit, tabo glebas terræ? Atqui illa quidem omnia præclara facinora erant; ista verò omnia passiones: sed tamen ista illum clariorem, quàm illa fecere. Hæc enim maximè amarissima certaminum portio, & maiorem virtutem requirens, & animam fortiorem, & mentem Philosophiæ appositiorem, quæ maiorem circa Deum habebat charitatem: & præterea, cùm illa quidem fierent, etsi impudenter & valdè crudeliter, attamen*

attamen contradicit diabolus; dicens; Num- Iob 1,9.
quid gratis colit Iob Deum? hæc verò cùm contigissent, confusus abscessit, terga dans, quòd neque vel impudentem contradictionem, vmbram saltem habentem aliquam, posset opponere. Hæc enim CORONÆ *perfectio, hoc virtutis cacumen, ista fortitudinis aperta probatio, hoc verissimum Philosophiæ incrementum. Hæc itaque cogitans, ac retractans quantum sit lucri, acta cum molestijs ac doloribus vita, gaude & delectare quæstuosam, & mille plenam* CORONIS VIAM CRVCIS *per frequentissimas passiones deambulans.*

Ibid. nonnull. interiectis.

Cum ipso sum in tribulatione. Psal. 90,15.



Quàm leue, sponsa, iugū CRVCIS efficit vna volūtas!
Te mihi CRVX sociat, me cara sumpta tibi.

CAPVT IX.

CRVX *Christo vnit, & conformat.*

Cum ipso sum in tribulatione.
Psalm. 90,15.

Quam leue, Sponsa, iugum CRVCIS *efficit vna voluntas!*
Te mihi CRVX *sociat, me caro sumpta tibi.*



DELINITA optimis Christi sermonibus Staurophila, inhiabat magis ac magis suauissimos CRVCIS fructus ex eius ore capere, & carpere: ad Christum proinde conuersa, Obsecro te, inquit, dilecte mi, Perge & alias CRVCIS prærogatiuas exponere, vt tantò libentiùs eam feram, quantò cognouero vtiliorem. Vberrimus, aiebat Christus, & longè præstantissimus fructus is est, quem Psalmista his verbis indicauit: *Iuxtà est Dominus ijs qui tribulato sunt corde.* Psal. 33,19 idemque Deum ita loquentem inducit: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 90,15 Quid autem maius? quid excellentius concipi potest, quàm habere Deum sibi præsentem, & auxiliantem in tribulatione? Quare non immeritò

ritò idem sibi gratulabatur, Deo dicens:
Psal. 22, 4. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quid enim timeat mali, cùm quo summum est
Rom. 8, 31 bonum? *Si Deus pro nobis*, aiebat Apostolus, *quis contra nos?* & quàm confidenter in me-
Iob 17, 3. dijs ærumnis aiebat ille, *Libera mè Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* An non præsentissimum hoc Dei auxilium expertus est castissimus Io-
Sap. 10, 13. seph, quem æterna Sapientia *venditum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Vidésne iam quid illud
Origen. Tract. 34. in Matth. sit, *Cum ipso sum in tribulatione?* tantumdem enim valet, ac si dixisset: *Contribulor afflicto: sicut enim qui meus est, in tribulatione mecum est; sic & ego in tribulatione cum illo sum.*

Interfari volens Staurophila, Licétne, inquit, pace tuâ, Domine, quæ animũ meum pulsat, proponere quæstionem? Licet verò, aiebat Christus. Tum illa: Vereor vt parum calamitosis & miseris vera videatur hæc tua doctrina. Plerumque enim se à Deo derelictos, obliuioni traditos, & prorsus conqueruntur desolatos. Et ille ipse Psalmista, qui
Psal. 33, 19 ait, Deum *iuxtà* esse *ijs qui tribulato sunt corde*; quoties, quæso, expostulat, & conque-

ritur

ritur se velut desertum? An non hæ illius voces: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Et, *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me? Vsquequò Domine obliuiscéris me in finem, vsquequò auertis faciem tuam à me? Quare faciem tuam auertis, obliuiscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Quis verò credat Deum præsentem illi, qui de absentiâ eius sic lamentatur?

Psal. 21, 1. Psal. 37, 22 Psal. 12, 1. Psal. 43, 24

Respondit Christus: Adest quidem Deus afflictis, in quibus patitur, sed præsentiam suam non semper manifestat. In tribulatione inuocantem exaudit ipse aliquãdo in abscondito tempestatis; in quâ veluti tectus latet, & ad iustorum probationem tantisper faciem suam abscondit. *Stat* nonnumquam *post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, obseruans scilicet quemadmodum athleta pius, nonnihil sibi relictus, in acie decertet. *Antonius* ille, magnus Eremi incola à dæmonibus *flagellatus atque confossus*, miriſque modis exagitatus, absentem Dominum, & sui, dum colluctaretur, oblitum credidit, nam cùm *radium ad se lucis influere* cerneret, illicò præsentiam *Domini intelligens, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, dicebat: Vbi eras, bone Iesu? Quare non à principio adfuisti, vt sanares vul-*

Psal. 80, 8. Cant. 2, 9. Athanas. in Vitâ Anton. cap. 8.

nera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hîc eram; sed expectabam videre certamen tuum. Ita ergo adest Deus in tribulatione, etiamsi absconditus.

Bernard. Serm. 16. in Psal. Qui habit.

Et sanè *ex ipsâ tribulatione*, Deum adesse in tribulatione, cognosci potest. *Quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret sine eo?* Si mecum Deus, aiebat Staurophila, in tribulatione, quid aliud præter ipsam requiram? *Mihi adhærere Deo bonum est, quia omnes qui elongant se ab* eo, *peribunt.** *Quanta enim hominum miseria, cum illo non esse, sine quo non possunt esse?* Prorsus ita est, inquiebat Christus: & vis exemplo hoc discere? *Perdiderat* Iob *omnia illa quæ dederat Deus; sed habebat ipsum omnia qui dederat, Deum. O virum putrem, & integrum! O fœdum, & pulchrum! O vulneratum, & sanum! O in stercore sedentem, & in cælo regnantem!* Diues abundè fuit, qui omnibus ablatis, Deum retinuit, & in eo omnia. *Bonum* proinde & *mihi*, inquiebat Staurophila, *tribulari, Domine, dummodò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo.* *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?*

Psal. 72, 27 *August. de Trinit.

August. Serm. 105. de Temp.

Bernard. Serm. 17. in Psal. Qui habit.

Psal. 72, 25

Rectum nunc, aiebat Christus, consecuta

es

es sensum, cùm intelligis CRVCES esse glutinum, quo Deus animæ, & anima vicissim Deo conglutinatur. Non meministi quid sancta Gertrudis diuinitus aliquando intellexit? Reuelatum ei fuit, *quòd, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas, tam corporalis quàm spiritualis, humiliter propter Deum tolerata, sit verissimum signum diuinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum vt grauatus quisque confidenter dicere possit: Annulo suo subarrhauit me Dominus meus.* Eadem & aliàs intellexit, *quòd quandoque Dominus (cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum) nihil inueniens in homine propter quod placitâ dignatione ipsum adesse deceat, tribulationes vel molestias tam corporales quàm spirituales immittit, vt inde habeat opportunitatem manendi cum illo, quia Scriptura veritatis dicit; Iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde. Et rursum ipse Dominus: Cum ipso sum in tribulatione.*

Blos. Mon. spirit. c. 10.

Blos. ibid. Prou. 18, 31.

Psal. 33, 19

Psal. 90, 15

Prô quanta, exclamabat Staurophila, diuinæ miserationis dignatio! quis credat tanti à summâ illâ Maiestate vermem hominem fieri, vt quasi eius amicitiam ambiret, *delicias* suas fateatur *esse cum filijs hominum?* O *Domine, quid est homo, quia magnificas eum,* & quare *apponis erga illum cor tuum?* Tantí-

Prou. 8, 31.

Iob 7, 17.

nc

ne hominis est familiaritas, vt ei CRVCEM & afflictionem immittas, vt iusto velut titulo ei adesse, ei te queas coniungere? Quàm admirabile mysterium, quòd CRVX, contẽpta apud prudentes huius sæculi, arrha annulusque sit diuinæ desponsationis! O CRVX venerabilis, quàm abscondita est dignitas tua à cordibus eorum qui terrena sapiunt! Dicebat hæc Stauroplila, & inardescebat animo, iamque vehementer & Christum & CRVCEM propter eum diligebat.

Fouendum hunc igniculũ putauit Christus. Est, inquiebat, filia, & aliud in CRVCE quod alternum nutrire valeat amorem, nec amanti illud abscondam. Conciliatrix amoris, amantium est similitudo, & morum humorumque certa quædam cõgruentia. Tanto autem erga humanum genus amore in-
Phil. 2, 6. 7. census fui, vt *non rapinam arbitratus esse me æqualem Deo*, memetipsum *exinanierim formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Cur autem censes id me feciſſe? nimirum vt ita homines ad me amandum allicerem, quibus per omnia assimilatus essem absque peccato. Nunc autem, dic mihi, quid arbitraris ab homine vicissim requiri? an non vt & ipse meam, quà licet, affectet similitudinem, formam æmuletur, imitetur mores, sequa-

tur

tur vestigia? An non ideò cælestis Pater meus *quos præsciuit*, hos *& prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui?* Quomodo autem, inquiebat Staurophila, poterimus fieri conformes imaginis tuæ? Si, respõdebat Christus, ad exemplar vitæ & passionis meæ viuam mei imaginem vitâ & moribus exprimaris; & sicut ego propter vos CRVCEM susceпi, & in eâ mortuus fui, ita & vos *per commune consortium* CRVCIS, *aliquid, quod propter* vos *gessi, agatis.* Hoc scilicet est quod Apostolorum Princeps monebat *communicare Christi passionibus. Qui* autem CRVCEM *portat, passioni Redemptoris sui verè communicat.* Quælibet enim CRVX, *quodlibet grauamen imaginem excellentissimæ passionis meæ refert, & in eo homo promereri potest perfectam eiusdem passionis participationem. Nemo* siquidem *ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is cui contigerit similia pati.*

Rom. 8, 29

Leo Ser. 9. de Quad.

1. Pet. 4, 13 Pet. Dam. Serm. de Inuent. S. Crucis. Blos. in Far. Instit. vtilis. sub fin. Thom. à Kemp. l. 2. de Imit. Christi, cap. 12.

Quis loquetur, aiebat Staurophila, *potentias Domini?* Quis enarrabit mirabiles adinuentiones amoris tui? Quid enim nobilius militi, quàm deferre arma Regis? Quid gloriosius sponsæ, quàm assimilari sponso? Vnde summa hæc mihi iam dignitas, abnegare meipsam, & CRVCEM tollere post te? Vt enim, qui eiusdem sunt Ordinis, eodem vtuntur & habitu; & quorum eadem insignia, vnius censentur

Psal. 105, 2

sentur familiæ & nobilitatis : ita non iniuriâ Cruciferam me, tui Ordinis & de familiâ gloriabor esse IESV Crucifixi.

Gloriatio hæc, inquiebat Christus, non erit inanis: non solùm enim patienter CRVCEM ferenti mihi conformatur, sed ego, velut ei vnitus, in eodem patior. Ipsum enim me fidelibus meis incluſi, vt quod eorum vni fiat, mihi factum reputem. Vnde Saulo Ecclesiam persequenti dicebam : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Et in iudicio immisericordibus dicturum me protestatus sum: *Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis*. Patior itaque in singulis membris meis, quibus vires & adiutorium suggero, vt tantò leuius sit CRVCEM ferre, quò meliore socio & auxiliatore decorantur.

Act. 9, 4.

Matth. 25, 45.

Iam, intelligo aiebat Staurophila, quid sibi voluerit Augustinus, cùm diceret : *Vnus homo cum capite & corpore suo Iesus Christus, Saluator corporis, & membrorum corporis, duo in carne vnâ, & in voce vnâ. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imò passiones Christi, non nisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput & corpus, passiones Christi non nisi in Christo.* Non minus, aiebat Christus, id intelligebat felicissima illa & verè beata Martyr Felicitas, quæ cùm in carcere parturiret, nec eiulatus posset comprimere, vnus

Auguſt. in Pſal. 61.

ali-

aliquis lictorum acerbo scommate dixit: Si nec hos quidem dolores, ô femina, ferre queas silentio, illos quomodo feres, cùm vrêris, secaberis, laniaberis. Huic Felicitas prudentissimè & prorsus Christianè, Iam, inquit, pro me patior, at tunc in me passurus est Christus. Prout dixit, sic contigit. Nam cùm feris obijceretur, nullos eiulatus, sed nec vllos gemitus prodebat.

Domine, subijciebat Staurophila, qui ista attentiùs expenderit, te scilicet afflicto adesse, tibi CRVCE eum desponsari, teipsum in illo pati, huic procul dubio CRVX amara non accidet. Et mirum planè, ni toto eam pectore summisque votis ambiat. Quare minùs nunc stupeo generosum illud sanctissimæ Heroidis Teresiæ votum, quo inexplebili desiderio optabat AVT PATI AVT MORI. Quàm dulcis quoque erat CRVX Magdalenæ de Pazzi, quæ dicebat, se non desiderare breuem vitam & celerem mortem, quia in cælo nulla esset passio: *Desidero ergo*, inquiebat, *viuere diu, quia desidero amore Dei diu pati, non tantùm martyria, sed & morbos, calumnias, infortunia, & quæuis aduersa.* Amanti igitur dulcis tribulatio, quæ acerba & prorsus intolerabilis non amanti. *Nonnumquam* enim *in tantum confortatur* homo *ex affectu tribulationis & aduersitatis, ob*

Vincent. Puccinius in Vitâ.

Thom. à Kemp. de Imit. Christi l. 2. cap. 12.

ob amorem conformitatis CRVCIS *Christi, vt se sine dolore & tribulatione esse non vellet: quoniam tantò se acceptiorem Deo credit, quantò plura & grauiora pro eo ferre poterit.* Neque verò, inquiebat Christus, addubitare ampliùs decet, num ex amore CRVCES immittantur, cùm eas philtra quædam & illecebras amoris ipsa cognoscas. Non enim sic calcem infusa accendit aqua, atque tribulatio in amantium mentibus diuinum amorem. CRVX sanè & *afflictio bonum est occultum, quod nemo compensare queat: adeò vt si quis centum annos flexis à me genibus* CRVCEM *amicabilem precetur, nec sic tamen illam emereri possit. Equidem malim afflictiones creare ex nihilo, quàm amicos meos* CRVCIS *expertes relinquere.*

Suso in Dial. æternæ Sap. cap. 13.

CA-

CAPVT X.

Præsidio CRVCIS *mare sæculi transfretandum.*

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.
Actor. 14,21.

Non timet Aeolios ratis hæc fera flamina, fratres,
CRVX *malus, remus,* CRVX *cui clauus adest.*



VM longo satis tempore VIAM CRVCIS Stauróphila perambulasset, iamque salutare illud onus tantum amare, quãtum principio horrere didicisset; appropinquabat tandem viæ vitæque terminus: quando Christus sponsam suam recreare volens, naui impositam docere cœpit, vt CRVCIS præsidio per sæculi huius pelagus turbulentissimum, ad cælestis patriæ portũ transfretare oporteret. Et age, inquiebat, ô Staurophila, quod reliquum est itineris commodiùs hac naui mecum confícies, non longè enim es à patriâ, & desiderato toties fine. *Sic* autem contingit homini

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. *Act. 14, 21.*



Non timet Æolios ratis hęc, fera flamina, fratres:
CRVX *malus, remus,* CRVX *cui clauus adest.*

in hac vitâ, *itamquam* si *videat quisque de longinquo patriam, & mare interiaceat; videat quò eat, sed non habeat quà eat. Sic* & *ad illam stabilitatem* quæ est in cælo, volunt homines *peruenire*, sed *interiacet mare huius sæculi quà* eundum. *Vt ergo esset & quà irent, veni* ego *inde ad quem ire volebant. Et quid feci? Instituí lignum quo mare transeatur. Nemo enim potest transire mare huius sæculi, nisi* CRVCE *portatus. Hanc* CRVCEM *aliquando complectitur & infirmus oculus, & quia non videt longè quò eat, non ab illâ recedat, & ipsa illum perducet. Mare transeundum est*: noli lignum contemnere, quia quà transeatur ad patriam non est, nisi ligno porteris: *in mari* enim *ambulare non potes*, sicut ego ambulaui; *naui* ergo *portare. Eripe te, si potes, à submersione: si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare*, CRVX *te perducat.* Augustin. Tract. 2. in Ioannem. Augustin. in Psal. 51.

Perlibenter, aiebat Stauropsila, portari me permisero, quæ CRVCEM hactenus, & sæpè etiam permolestam portaui. Verùm, quod aliàs considerasse me vix memini, quàm multa hîc cerno CRVCIS mysterium oculis animisque ingerentia. Quid enim anchora aliud quàm geminata CRVX? *Signum* quoque CRVCIS *naturaliter visitur in* ipsâ *naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur. Mare enim non* Minut. Felix in Octauio. Iustin. Martyr Apolog. 2.

ſcinditur, niſi trophæum iſtud, quod malus appellatur, ſaluum in naui maneat. Iam clauus à CRVCE quantum abludit? & remorum vice CRVCEM fungi poſſe, quis non videat?

Non malè, inquiebat Chriſtus, CRVCIS ſacramentum in naui conſideraſti. *Nam cùm à nautis ſcinditur mare, priùs ab ipſis arbor erigitur, antenna ſuſtollitur, velum diſtenditur, vt* CRVCE *Domini aquarum fluenta rumpantur: & hoc Dominico ſecuri ſigno, portum ſalutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim ſacramenti quædam eſt, velum ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in* CRVCE, *atque ideò confidentiâ de myſterio veniente homines ventorum procellas negligunt. Sine arbore* CRVCIS *nauis infirma eſt; ſtatim eam diabolus inquietat: at vbi ſignum hoc* CRVCIS *erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella ſopitur.* Vis nunc, ô Staurophila, patientiæ nauigio cæli petere portum? in ipſo velo me veluti crucifixum conſidera, *aſpiciens in auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM, *qui, propoſito gaudio, ſuſtinuit* CRVCEM.

Max. Taurin. Ser. 56. tom. 3. Ambroſ.

Hebr. 12, 2.

Quàm dulcia faucibus meis, aiebat Staurophila, *eloquia tua* Domine, quæ ſpirituali nauigio ſæculi ſuperare fluctus, & ad cæleſtem docent nauigare Ieruſalem! Concupiſco

Pſal. 118, 103.

piſco proinde, ſi ita tuæ viſum bonitati, pluribus de his inſtrui.

Audi ergo, inquiebat Chriſtus, breuem myſticæ nauis deſcriptionem. Similis eſt omnis ſtatus Eccleſiæ magnæ naui, quæ per vndoſum pelagus ad magnam potentis regni vrbem properare cupit. *Nauis huius Dominus, ipſe omnipotens Deus eſt; gubernator verò* ego vnigenitus eius Filius; proſperventus, Spiritus ſanctus. *Ipſum mare, hic mundus habeatur; ventorum* verò *varietates & turbinum, diuerſis tentationibus conferantur: perſecutiones, tribulationes, & pericula, fluctibus exæquantur. Promontoria & loca confragoſa, hi* ſunt, *qui in poteſtatibus ſæculi ſunt Iudices, & pericula minantur & mortes. Dithalaſſa loca, quæ duplicibus vndæ fallacis æſtibus verberantur, hypocritæ* ſunt, *& doloſi:* nec deſunt piratæ, & Sirenes, aliaque innumera pericula. Iam *verò rapidus vortex, & tartarea charybdis, & ſaxis illiſa naufragia, ac mortiferæ ſubuerſiones, quid aliud æſtimanda ſunt, quàm peccata?* Viden' vt hîc non modica patiendi ſit materia, ampla hîc fluctuum & tribulationum ſeges? ſed nauis quæ longanimitatis & patientiæ aſſeribus compacta eſt, quæ bitumine timoris Dei intus ac foris benè oblita, per medias procellas ſecura perueniet ad portum ſalutis.

Clemen. Roman. Epiſt. 1. ad Iac. fratrē Domini.

Admirabatur Staurophila tam accuratam tamque breuem nauticæ rei descriptionem; &, In paucis verbis, inquiebat, Domine, quanta mihi considerauda proponuntur! Quot virtutes exercendæ! quot pia obeunda exercitia! *Mirabiles*, ô Staurophila, inquiebat Christus, *elationes maris*; sed *mirabilis in altis Dominus*, huic *indesinenter supplicandum*, benignam largiatur auram, quâ *nauigantes* discrimina cuncta *superent*. Si quâ deinde pusillanimitas spiritus, si animi deiectio, si tædium aut impatientia aliqua per rimas influxerit, exhaurienda statim erit conscientiæ sentina. Quàm multa, inquiebat Staurophila, incommoda secum adfert nauigatio, præsertim diuturnior. Sanè vt lætissimum ad patriam tendere, ita nescio quàm triste in hoc mari magno tot difficultatibus die noctuque nauigare.

Psal. 92,4.

Clemens loc.cit.

Sed inter hæc tristia, inquiebat Christus, *celeusma nostrum dulce cantemus*, ALLELVIA, *vt læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, cuius fluctus ac turbines sentit inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi iam Sancti hos fluctus spreuerunt, multi calcauerunt, multi per aquas securi ad patriam peruenerunt.* Sed, inquiebat Staurophila, multi quoque naufragium fecere,

Augustin. de Cant. nouo c. 2. Tom. 9

cere, multi ſubmerſi ſunt in profundum quaſi lapis.

Quid tum, inquiebat Chriſtus, abſque naui non tranſitur pelagus; qui decumanos fluctus, qui procellas & tempeſtates exhorreſcit, iiſve cedit, mirum non eſt ſi naufragium patiatur. Peritus nauta omni vento proſperè nauigat; nouit enim velum ita obliquare, vt contrario etiam vento portum petat. In mari non ſemper malacia, nec vllum nauigium à procellâ liberum. *Non enim nihil ſignificat nauis illa portans* me, & *Diſcipulos* meos, *quæ contrario vento laborabat in fluctibus. Si in naui pericula ſunt, ſine naui certus interitus. Opus ergo naui*, vt *huius mundi ſubmerſionibus vindiceris.* Auguſt. Serm. 22. de Diuerſis edit. Louan.

Verùm, ne quid præteream, occultum inimicum, ac valdè fraudulentum, qui nauim validè remorari poſſit, hîc tibi detegam. Quantâ potes ſollicitudine & curâ, ô Staurophila, illud cura,

Ne vitæ ipſa tuæ immittas Echeneida carnem,
Quæ veluti iectâ properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit ſubſiſtere molem. Nazian. in Carm. ad Virgin.

Voluptas carnis, mundiq; proſperitas, CRVCES & tribulationes reſpuunt, nec aduerſo vento nauigare didicerunt. Epulonis nauis nul-

nullam habebat CRVCEM, prospero vtebatur vento, sed hoc vento ad infernum nauigauit. Lazari nauis plena erat CRVCIBVS, & aduerso ferebatur vento; sed hic flatus eam in sinum Abrahæ, tamquam in portum tranquillissimū duxit. Et cùm fluctus essent tam multi, vicissimque alios super alios Lazarum impeterent, non tamen demersum est nauigium. Diuitis verò nauis erat plena mercium, ac secundo nauigabat vento, verùm ad naufragium festinabat, eò quòd onus nolebat circumspectè ponere.

Circumspectiorem me facient, aiebat Staurophila, monitiones tuæ, quæ munitiones quoque aduersus hostium insultus, & varias fluctuationes mihi erunt. Sed scire hoc vnicum tandem velim, an patientiæ hæc nauis optatum etiam subintret portum. Subintrat, inquiebat Christus, & quidem citissimè ac securissimè. Nec est quòd dubites, si me-
Act. 14, 21. mineris istius: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Animaduertis hîc, credo, aquas tribulationum rate CRVCIS secandas, & sic peti portum regni
Ambros. Serm. 51. tom. 5. cælorum. *Quòd autem* CRVX *ad patriam post multos errores redire faciat*, satis *declarauit*, cùm *latroni in* CRVCE *posito dicerem*, *Hodie*
Luc. 23, 44 *mecum eris in paradiso. Qui vtique diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradisi,*

de

de quâ primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Sic CRVCIS rate mundi diſcrimina illecebroſa licet tranſire, ita melioris vitæ curſus non incidit in ſcopulos voluptatis. Acclamabat hîc Staurophila, O quàm *benè nauigant, qui in nauibus Chriſti* CRVCEM *ſicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora ſua dirigant ad ſancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque ſecuri.* Felices prorſus, qui non *permittunt naues ſuas vago fluctu errare per maria, ſed ad portum ſalutis, & ad conſummationem gratiæ curſus ſui directione contendunt, vt fidâ* tandem *ſtatione potiantur, vbi naufragium timere non poſſint.*

Ambroſ. in Pſal. 47.

Quadrigæ tuæ, ſaluatio. *Hab. 3, 4.*



Quam tuleram, tulit hęc me CRVX: CRVCI *et ipsa volucres*
Adde rotas; ſi vis currere, currus erit.

CAPVT XI.

Vehiculo CRVCIS *cælestem adiri Ierusalem.*

Quadrigæ tuæ, saluatio. *Hab.* 3,4.

Quam tuleram, tulit hæc me CRVX, CRVCI
& ipsa volucres
Adde rotas, si vis currere, currus erit.



ROSPERO vento, cum eo cui obediunt venti & mare, littus attigit Stauro-phila, cumque è naui exscendisset, ita eam Christus excepit: Agedum, dilecta mea, feliciter emensi sumus hoc mare, nec longè sumus à regno Dei, tot votis desiderato. Breue autem quod restat curriculum, curru potiùs conficiemus; partim, vt varietate hac itineris subleuetur molestia; partim, vt citiùs eò pertingas, vbi te speras sine fine mansuram. Dici vix potest, vt hæc Stauro-philam delectarint, quæ tacita secum cogitabat, an, veluti alia emolumenta CRVCIS hactenus expositа ex CRVCE ferè conflata fuerant; ita quoque vehiculum quoddam exhiberetur CRVCIS, quo cæle-

cæleſtem patriam liceret adire. Id verò vt videbat IESVS, ſtatim reſpondit: Dubitáſne Staurophila, num currum tibi CRVX præſtare queat? Et quid obſecro illa mihi aliud fuit, quàm triumphalis currus, quo de mundo, morte & diabolo trophæum erigens, cæleſtem Ieruſalem glorioſus intraui. *Oportebat* enim *pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* An non legiſti Prophetam, triumphum CRVCIS meæ deſcribentem? *Cornua*, ait, *in manibus eius.* cornua ſcilicet CRVCIS, quibus clauis affixus fui, atqui *ibi abſcondita erat fortitudo mea.* Pergit verò narrare, vt in triumphum ducti captiui. *Ante faciem*, inquit, *eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius.* Quæris quando? Tum nimirum, cùm *exſpolians Principatus & Poteſtates, traduxi confidenter, palàm triumphans illos in* memetipſo. CRVX enim *trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus eſt, & triumphatus.* Ne verò currus Prophetam oblitum putes, ſubiunxit: *Qui aſcendes ſuper equos tuos, &* QVADRIGÆ *tuæ ſaluatio.* Nam vt Elias, qui typum mei geſſit, curru & equis igneis per turbinem in cælum aſcendit; ita & ego, poſt CRVCEM & paſſionem, propriâ virtute cælos penetraui. Quid verò iam reſtat, niſi vt qui conſors fuerit CRVCIS meæ, eâdem, veluti vehiculo, euehatur in

Luc. 24, 26

Hab. 3, 4. 5

Coloſſ. 2, 15.

Origen. Hom. 8. in Ioſue.

Hab. 3, 8.

2. Reg. 4, 11.

in cælum ? CRVX siquidem & tribulatio, *habitus victoriæ, & palmata* Christianorum *vestis est, talique curru triumphant.* Hoc in veritate tibi dico. *Si libenter,* ô Staurophila, CRVCEM *portas, portabit te, & ducet te ad desideratum finem, vbi scilicet finis patiendi erit.* Tertull. in Apolog. cap. 50. Thom. à Kemp. l. 2. cap. 12.

Oblectabatur plurimùm hisce sermonibus Staurophila, & exclamans aiebat: *Quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde!* Quàm magna, Domine, misericordia tua super me! qui CRVCEM mihi cõuertis in currum, & quod portandum mihi erat onus, eo ipso me portari & vehi in cælum decreuisti! Clarissimè videre mihi nunc videor, quomodo *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum.* Hoc nimirum erat, Staurophila, subijciebat Christus, quare *iugum meum suaue, & onus* dixerim *leue. Verè* enim *leue onus est, quod portantem non grauat, sed leuat. Quid eo leuius onere, quod non solùm non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur?* Est onus exonerans, sicut pennæ auium, quæ ferunt à quibus feruntur. Nam esto, appositis pennis onus crescat, tamen sarcina est leuior. Atqui hoc de hac quadrigâ meâ intelligas velim. *Sic* enim *oneri grauissimo Legis accedens quadriga Euangelij, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.* Psal. 72, 1. Rom. 8, 28 Matth. 11, 30. Bernard. Epist. 72.

Et

Auguſt. in Pſal. 59. Et ideò non grauis eſt *ſarcina* CRVCIS: *Portent illam homines, & inuenient quàm ſit leuis, quàm ſuauis, quàm iucunda, quàm rapiens in cælum, & à terrâ eripiens.*

Placebat Staurophilæ mirum in modum ſpiritualis hic currus: proinde de ſingulis eius partibus benigniſſimum Magiſtrum interrogandum duxit, Opto, inquiens, mi Domine, particulariùs cognoſcere, quænam huius currus rotæ, qui equi, quis auriga. Næ tu, inquiebat Chriſtus, ſemel & ſimul multa proponis, quæ ſingillatim differenda. Quatuor ſpiritualis huius currus rotæ ſunt, totidem virtutum gemmæ, quibus trophæum CRVCIS ipſemet exornaui: *Charitas* ſcilicet, *Obedientia, Patientia, & virtutum radix Humilitas.* Ego enim CRVCI affixus ad *Iudæorum blaſphemias humilis, ad vulnera patiens* fui, & charitatem nemo maiorem habuit, quàm ego, qui animam meam non pro amicis tantùm, ſed & pro inimicis poſui. *Obedientia* fuit *conſummata*, nam *inclinato capite tradidi ſpiritum, factus obediens vſque ad mortem.* Hiſce ego rotis currum CRVCIS inſtruxi, vt eſſem vobis *obedientiæ forma, incentiuum amoris, patientiæ ſpeculum, humilitatis exemplum.*

Bernard. Ser. 1. in die Paſchæ.

Quàm pulchræ, aiebat Staurophila, rotæ currus tui, Domine! ô quàm volubiles! quàm aptæ

aptæ vt nos ad cælum subleuent! Sed concupiscit anima mea vlteriùs de ijs audire dulcissimum eloquium tuum. Auscultа igitur,ô filia, aiebat Christus. Primò rotam amoris nuncupaui. *Vt enim corpus pondere, sic animus amore fertur, quocumque fertur.* *Non laborat amor: nam quò plus amaueris, hoc leuiorem sarcinam feres: quandoquidem amorem geris, qui vltra cælos omnes ad dilectum vsque portat ac euehit. Etenim amans spiritus, quocumque vult peruolat, cunctis illi cælis patentibus. Vide mihi nunc, quàm congruè vehiculum CRVCIS amoris voluatur rotâ. Nam

Augusſt. lib. 10. de Ciuit. *Rusbroc. lib. De 7. amoris grad. c. 4.

Quantæcumque CRVX *sit moræ,*
Vix apparet breuis horæ,
Nec sentitur præ amore.

Altera rota est vera Obedientia, & conformitas cum voluntate diuinâ. *Nam qui diuinam* voluntatem in omnibus sequi conatur, is *curru* vehitur, cum omnibus CRVCIBVS ipsi alioqui ferendis. Alij verò, qui hanc itineris agendi rationem & compendium ignorãt, ponè sequuntur pedites, & oneroſas CRVCES aut morosè trahunt, aut laboriosè ferunt. Itaque expeditus & gaudens homo voluntati Dei conformis, per medias ærumnas ad cælestem patriam securus pergit.

Doroth. Serm. de Obed.

Rota tertia, Patientia est; quæ quantum promoueat ad regnum Dei assequendum, non

Act. 11,21 non semel iam doctum dictumq;. *Per multas* enim *tribulationes oportet intrare in regnum*
2.Cor.4, 17. *cælorum. Et quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis* vestræ, *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.*

Deniq; e quarta rota, Humilitas est; sine quâ qui ad cælum ascendere concupiscit, verissimè descendit: qui autem se humiliat, exaltabitur. Hanc rotam ego in meipso
Ephes.4, 10. ostendi, *quoniam qui de cælis descendi, ipse* sum *& qui ascendi.* Qui aliter vadit, cadit.
Bernard. Serm.4. de Ascens. Domini. Vide ergo *ne ductoris imò seductoris iniqui aut vestigium aut consilium sequaris*, ne de curru fortè corruas. Atque hæc de rotis.

Subiecit verò Staurophila: Non graue sit Domino meo, si sermonem nonnihil interrupero. Video enim rotas hasce perungẽdas. *Necesse est* enim *vt vnctio spiritalis gratia adiuuet infirmitatem nostram, deuotionis* adi-
Bernard. Serm. 1. in Dedic. Eccles. pe *liniens* CRVCES patientiæ nostræ. *Quia nec sine* CRVCE *sequi* te licet, *& sine vnctione,* CRVCIS *asperitatem ferre quis posset?* Hinc enim *est quòd multi abominantur & fugiunt* aduersa, CRVCEM *quidem videntes, sed non etiam vnctionem.* Vnde ergo vnguentum huic rei necessarium? Ex me, respondebat Christus, qui à chrismate nomen sum-
Psal. 44,9. psi. Vnxit enim me Pater *oleo lætitiæ præ consortibus* meis: quòd non mihi soli seruaui,

ui, sed & in alios deriuatum est. *Oleum enim effusum nomen* meum. & de plenitudine eius omnes athletæ mei posteà peruncti sunt. Haud satis assequor, inquiebat Staurophila, quid hoc sibi velit. Cui Christus: Sicut ego descendens in aquas Iordanis, non illas modò, sed omnes omnino sanctificaui, & aptas feci ad sanctificationem Baptismi; ita quoque postquam exiui è ciuitate baiulans mihi CRVCEM, in vnâ illâ omnes aliæ à me vncto eodem oleo lætitiæ delibutæ sunt. CRVCES enim anteà erant admodum insuaues, horridæ, asperæ, & iugum planè grauissimum: verùm ego *computrescere feci iugum à facie olei*, vt deinceps CRVX esset iugum suaue, & onus leue. Quare illi qui priùs à CRVCE maximè abhorrebant, eam posteà vehementer etiam desiderarũt. Vnde exclamat quæcumque est talis: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quid si ipsam vnctionem in se effusam sentiret, cuius ita tenui exhilarata fragrantiâ promouetur vt currat, mirum si non & volaret.* Suspirans hîc Staurophila, *Sicut adipe*, inquiebat, *& pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.*

Cant. 1, 2

Isa. 10, 27.

Cant. 1, 3.

Bernard. Serm. 22. in Cant.

Psal. 62, 6.

Sed anhelo, vt de equis quoque benignitas tua sermonem pertexat. Equi, inquiebat Christus, quibus currus euehitur, sunt *desi-*

Bernard. in Sentent. *derium ex amore cæleſtis patriæ, & affectus videndi Deum, quibus datur fortitudo, & circumdatur hinnitus: calcaria verò, fluxa labilitas præſentium, & ſtabilis æternitas futurorum.* Quàm celeriter, Dilecta mea, hi equi, aquilis etiam velociores, eò te perducent, quò totâ auiditate tendis! *O bonorum equorum iugum mirabile! quibus frena pacis, habenæ ſunt charitatis, conſtricti inter ſe concordiæ vinculis, & iugo fidei ſubiecti!* Quàm felix eſt, Domine, inquiebat Staurophila, qui equis hiſce & ſalutaribus quadrigis tuis vehitur! veriſſimè enim ſcriptum eſt: *Quadrigæ tuæ ſaluatio:* iis ſiquidem expeditiſſimè ad æternam perueniemus ſalutem. Sed de equorum Rectore, ſiue Aurigâ vnicum, precor, adijce verbum. Auriga, inquiebat Chriſtus, ipſe ego ſum, Verbum Patris; qui noui equos gubernare, vt æqualis omnium ſit curſus; & ſegniores flagello iuſtitiæ excito, vt currant, & à terris ad ſuperiora ſe ſubrigant, atque ad cælum eleuent. Hoc *flagello fugatæ ſunt illecebræ ſæculares, exterminatus mundi Princeps, Iuſtorum curſus impletus eſt.* Quid iam tibi videtur de toto hoc Equitatu. Satis, inquiebat Staurophila, ſuauiter equitat, quem currus patientiæ portat. Rectiſſimè enim Quadriga tua ad cæleſtem dirigit Ieruſalem, & veram immortalitatem. Quàm mul-

Ambroſ. in Pſal. 118 octon. 4.

Habac. 3, 8

Ambroſ. vbi ſuprà.

ti

ti enim sunt qui tribulationibus exercitati

Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident?

Breuiar. Roman. in Hym. de Mart.

Absque CRVCE ad cælum vix peruenissent, aut testudineo incedentes gradu, post diuturnos Purgatorij ignes eò serò tandem euolassent. Sed hæc Martyrum, vt credo, prærogatiua est; quorum Currus velocior. Atque vtinam & mihi hæc obtingat felicitas!

Quid ni contingat? aiebat Christus; numquam enim abest Martyrij tempus. *Sine ferro & flammis Martyrem esse licet, si patientiam in animo veraciter conserues.* Multi ducũt martyrium in lecto; prorsus multi: iacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, exauditur; imò non exauditur, sed exercetur, & vt recipiatur filius, flagellatur. Non cedit* doloribus per impatientiam, nec malis artibus quærit sanitatem, *certat tamen* viriliter. *Vires non habet, & diabolum vincit: fit martyr in lecto, coronante illo, qui pro illo pependit in ligno.* Viden' vt à curru CRVCIS non excludantur, qui aduersâ valetudine discruciantur? Confide ergo & tu filia, & cum gaudio patientiæ curru in cælum vehere, quĩa

Idiota de Verâ patient. c. 10. *August. Serm. 39. de Diuers. cap. 8.

Labor hic paruus est, & breuis vita.
Merces grandis est, quies infinita.
Toties martyr Dei efficeris,
Quoties pro Deo pœnam pateris.

Thom. à Kemp. in Cant. de Patient.

Ascende ad me in montem. Exod. 24,12.



Scande, tibi faciles CRVX *præbet idonea scalas:*
En patet ad Superos REGIA (*Scande*) VIA.

CAPVT XII.

CRVX *scala, quâ ascenditur in domum Dei.*

Ascende ad me in montem. *Exod.* 24, 12.

Scande, tibi faciles CRVX *præbet idonea scalas,*
En patet ad Superos REGIA (*scande*) VIA.



ALENTIBVS votis & rotis sensim Staurophila supernæ Ierusalem appropinquabat, quam cùm à longè vtcumque aspiceret, ita eam Christus excitauit: Leua nunc, amica mea, oculos tuos, & vide ciuitatem illam supra montem positam. Hæc est enim *Ierusalem* illa *quæ sursum est, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Hæc *ciuitas Regis magni,* cuius *fundamenta in montibus sanctis.* Gal. 4, 26. Psal. 121, 3 Psal. 47, 9. Psal. 86, 1.

Vix se tenebat hæc audiens Staurophila, & præ lætitiâ exultans, aiebat: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent super pace tuâ. Lætata* prorsus *sum in his quæ dicta sunt mihi,* quia *stantes erunt pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.* Sed *quis* iam *deducet* me *in ciuitatem* Psal. 86, 2. Tob. 13, 18 Psal. 121, 1 Psal. 59, 10

munitam? quis adducet, Domine, in montem
Psalm. 5, 4. sanctum tuum, & in tabernacula tua? *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Excepit Christus: Non opus est alis, sed SCALIS: neque enim volando, sed gradatim ascendendo peruenitur in montem Domini. Non meministi vt Patriarcham Iacob Deus olim solatus sit, ostendens illi SCALAM
Gen. 28, 12. *stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ?* Memini, inquiebat Staurophila, historiæ huius: sed, expone, quæso, spirituale quod in eo latet mysterium. Et Christus:
Philo l. de Somnijs. *Miranda sunt hæc prorsus; continent enim perillustre laboris & patientiæ exemplum.* Scala enim hæc ostendit *arduum iter ad cælum,*
Tertull. l. 3. Cont. Marcion. *quo quidem alij* per labores CRVCE sque *perueniant; vnde alij* difficultate superati *decidant.* Sed vtcumque laborem habeat hic ascensus, aiebat Staurophila, illud tamen dulcissimè solatur, quòd gradibus his superatis, aditus pateat in cælum. Ita est, inquiebat Christus, & hoc voluit æterna Dei Sa-
Sap. 10, 10 pientia, cùm *profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.*

illius. Iam tum sanè id Iacob agnoscebat, vnde & euigilans, pauensque dicebat: *Quàm terribilis est locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* nimirum hæc ideò illi ostensa, vt nec fratrem, nec ærumnas, nec dolores vllos refugeret, quibus nimirum sciret cælestes adiri mansiones, & requiem parari æternam. Quis, inquiebat Staurophila, similes mihi concedat scalas, vt ascendam *ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob? Ecce terra deorsum, quam calcamus pedibus nostris: ecce iam cælum sursum, quod videmus oculis nostris; & ascendere gestiens, canto: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. vbi sunt ergo scalæ? tanta enim interualla conspicio inter cælum & terram, tantam separationem & tanta spatia locorum; & illuc volo ascendere, & scalas non video.* An nescis, respondebat Christus, vt in alijs, ita & hîc ipsam tibi præsidio fore CRVCEM? *quàm magna* enim & mira ego cælestis Architectus de CRVCE meâ feci? Ex ipsâ enim *scalas* cæli, per quas hominem lapsum ad cælestem patriam leuarẽ, constituxi. *O quales scalæ! quarum caput in cælum positum, per quas ipse & ascendi, & descendi, & propter cõfirmationem ipse super eas incumbo! Ascende secura, si desideras cælum: non te terreat earum nec angustia, nec longitudo, nec altitudo: nihil timeas,*

Gen. 28.

Isaiæ 2, 3. Augustin. in Psal. 122.

Augustin. de Cataclys. tom. 9.

timeas, non nutant gradus eius, quos ego Architectus sic confirmaui, vt in eius ligno manus meas clauis affigi voluerim. Desuper autem scalæ *innitor, vt laßis manum porrigam, vt ascendentes meo ad labores prouocem aspectu.*

Hieron. Epist. ad Iulian. tom. 1.

O Domine, inquiebat Staurophila, quanto desiderio desiderat anima mea per SCALAM CRVCIS ascendere in Bethel, in domum Dei nostri! Huc enim me prouocat, huc inuitat facies illa tua decora, in quam desiderant Angeli prospicere. Sed ascendere conanti porrige, quæso, manum, & ostende iam quomodo CRVX & tribulatio SCALA sit cæli.

Habet hoc, respondebat Christus, omnis aduersitas & CRVX, vt quantum hominem mœrore deprimere videtur, tantum subleuet ad cælum, Deoque faciat viciniorem. Ita aquæ diluuij quò magis increscebant, & arcam Noë obruere videbantur, eò magis à terrâ ad sidera eleuabant. Quàm sæpè afflicti, gementes, excruciati experti sunt se ipsâ CRVCE à terrenis ad cælestia sustolli! nec ipsa id nescis, Staurophila. Scio Domine, inquiebat illa, sed totam scalæ fabricam si fas sit, nouisse luberet. Cui Christus, Latera huius Scalæ sunt duo illa verba, *Sustine*, & *abstine*. Quid verò de gradibus dicam, quos

quos tibi Paulus *demonstrat*, & ascendentes quamplurimos inuitat? *Flecto, inquit, genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit altitudo & latitudo, longitudo & profundum. Quatuor gradus posuit* CRVCIS. *Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ. Quatuor gradus habent, & perducunt ad cælum. In altitudine caput positum est crucifixi. Sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet, & ascendit vnum gradum: in latitudine* CRVCIS *manus affixæ sunt crucifixi. Perseuerent manus Christiani in operibus bonis, & secundùm gradum ascendit. In longitudine* CRVCIS *corpus pependit crucifixi. Castiget quis corpus suum obseruationibus, ieiunijs illud suspendat, vt seruituti animæ subijciat, & tertium gradum ascendit. In profundo* CRVCIS *occultum est quod non vides, sed inde exurgit hoc totum quod vides. Adsit fides Christiana, quod non potest comprehendere, credat corde, altiora à se non quærat, spes eum nutriat, & tunc quartum gradum ascendit. Per hos gradus ascenderunt Sancti omnes, continentes, coniugati fideles, euaserunt ruinas mundi, migrauerunt ad loca tutissima.* August. de Cataclysmo.

Felices prorsus, inquiebat Staurophila, hi gradus, quibus ad felicitatem conscenditur

æternam! Vtinam, Domine, celeri cursu illos
Psal. 83. superare queam! Cui Christus: *Ascẽsiones* has *in corde disponere* oportet in hac *valle lacrymarum, in loco quẽ* tibi Deus *posuit*. Ille *etenim benedictionem dabit*, vt eas *de virtute in virtutem*, donec videas Deum deorum in Sion. Non te terreat labor, non reuocet difficul-
Cant. 3,10 tas: neque enim ad aureum Salomonis reclinatorium aditus patet, nisi per ascensum purpureum. Nónne vides vt ipsa CRVX, ex quâ *scalas* mihi in cælum feci, fuerit ornata
Isaiæ 63,2. Regis purpurâ? Non legisti *rubrum* fuisse *indumentum* meum, & *velut calcantium in torculari?* Age igitur, cruenta Sponsi tui lege vestigia, & imitationis feruore eisdem insiste, vt cum eo simul ascendas in montem sanctum, & in tabernacula æterna. Parata sum, subijciebat Staurophila, & non sum turba-
Hab. 3,16 ta, vt sequar vestigia Dilecti mei, *vt ascendam ad populum accinctum nostrum*: nam, vt non semel intellexi, *sancti Martyres ad cælestis regiæ ianuam gradibus pœnarum suarum ascendentes, scalas sibi quodammodò de equuleis, catastis*, & CRVCIBVS *fecerunt*. Sed obsecro, Domine, trahe me post te, quia retrahit à te corpus hoc aggrauans animam. Dirige quæso gressus meos, ne commoueantur pedes mei: operi manum tuarum, Domine, porrigas dexteram, ne corruam in conspectu aduer-

Saluian. lib. 3. de Gubernat. Dei.

uersariorum meorum. Vix hæc elocuta erat, cùm Christus extensâ manu apprehendit eam, & subleuauit ad se in montem, dicens: Optimum, Dilecta mea, factum, quòd imploraris auxilium meum, nec in potentiâ tuâ, sed in me solo habueris fiduciam. Nam *qui sperat in Domino, subleuabitur*: nec vmquam de *deserto* huius mundi ascendere poterit anima, *nisi innixa super Dilectum suum*. Cui illa: Docuisti hoc, Domine, ancillam tuam, vt speraret in te. Propterea confitebor tibi, & *exultabo in Deo* IESV *meo*. *Benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & super excelsa statuit me. Et dedisti mihi protectionem salutis, & dextera tua suscepit me.* Propterea *diligam te Domine fortitudo mea*, & * *benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.*

Prouer. 29, 25.

Cant. 8, 5.

Hab. 3, 18. Psal. 17, 47 ℣. 33.

℣. 1. *Psal. 144, 1.

C A-

Pulſanti aperietur. *Luc. 11, 10.*



Hem! CRVCE pulſo fores, Proceres attollite portas:
Cognitus hic vobis (eia aperite) ſonus.

CAPVT XIII.

CRVX *regni cælorum pandit portas.*

Pulsanti aperietur. *Luc.*11,10.

Hem! CRVCE *pulso fores, Proceres attollite portas,*
Cognitus hic vobis (eia aperite) sonus.



VECTA iam erat Staurophila ad ipsum montis fastigium, in quo ante ipsam Ierusalem lata quædam area, non admodum tamen longa protendebatur. Hic verò Christus Dilectam suam ita affatus est: In proximo est, mea Staurophila, vt impleatur desiderium tuum, ecce enim hæc est ciuitas Regis magni.

Viden' vt luce splendidâ fulgeat, cuius fundamenta in montibus sanctis, & *lumen eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum*; ecce *murum magnum, & altum habentem portas duodecim:* tota *structura muri ex lapide iaspide; ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo. Singulæ portæ ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum.* Quàm grata hæc oculis, quàm

Psal.47, 9.

Apoc.21, 11.

Ibid. v.18. 21.

quàm iucunda! Nec auribus hîc ſua deeſt
Tob.13, 22. oblectatio; nam per *vicos eius* perpetuum & ſuauiſſimum *Alleluia* cantabitur. Lætitiâ
Pſal.83,1. geſtiens Staurophila exclamabat: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: quia melior eſt dies vna in atrijs tuis,*
Pſal.25,8. *ſuper millia. Dilexi* enim, Domine, *decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Meritò ſanè, inquiebat Chriſtus; hîc enim
Iſaiæ 61,3. dabitur tibi, omnibuſque *lugentibus corona pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pal-*
Apoc.21,4 *lium laudis pro ſpiritu mœroris.* Hîc *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & mors vltrà non erit, neque luctus,*
Iſaiæ 60,5. *neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Tunc*, ô chariſſima, *videbis, & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor*
Pſal.35,9. *tuum.* Tunc *inebriaberis ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potaberis.* Tunc quoque cum alijs Sanctis gratulabunda di-
Pſal.47,9. ces: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri.*

Domine, inquiebat Staurophila, vt hæc
Pſal.41,5. *recordata ſum, effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.*

Sed, ô Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, iam ampliùs noli tardare, ſed oſten-

de

de mihi, obsecro, gloriam tuam. Ita suspirans, & velut ceruus desiderans introitum cælestis Ierusalem, leniter ducente & comitante Christo, deambulabat Staurophila, donec tandem peruentum est ad portam ciuitas; cùm Christus audiam: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Iam, ô dilecta, cursum consummasti, fidem seruasti, reliquum est vt intres in gaudium Domini, recepturа coronam iustitiæ. An non vides vt te candidatorum Martyrum exercitus exspectet, vt Virginum turba inuitet, vt omnis curia cælestis cum gaudio acclamet: *Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum?* Eleuans porrò oculos Staurophila, videre sibi visa est *turbam magnam stantem ante thronum in conspectu Agni*; & omnes (vt apparebat) *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Cui Christus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt?* Ait illa: *Domine mi, tu scis. Et dixit: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in Sanguine Agni, ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ*

Psal. 117, 19.

Breuiar. Rom.

Apoc. 7, 13

Ibid.

vitæ fontes aquarum. O vtinam eorum iungar consortio! aiebat Staurophila; vtinam societate fruar ciuium supernorum, qui me expectant, donec retribuas mihi! Sed quid agimus, Dilecte mi? en fores etiamnum clausæ sunt: quis eas reserabit? Clamare vix ausim: atque vt excelsâ voce inclamen, repulsam timeo. Memini enim fatuas illas
Matth. 25, 12. virgines, quæ dicebant, *Domine, Domine, aperi nobis,* audiuisse durum illud *Nescio vos.*

Quid hæsitas? inquiebat Christus. ipsâ
Luc. 11, 10 CRVCE tuâ, ceu malleo, validissimè portas has pulsa, *pulsanti* enim *aperietur.*
Matth. 11, 12. Nec insolentiam metue, *regnum* enim *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nónne omnes admonens olim dixi: *Contendite intrare per angustam portam*, vt scirent
Luc. 13, 24 fas esse non tantùm pulsare, sed multâ etiam vi & contentione viam sibi in cælum aperire: *quia multi quærent intrare, & non poterunt.* Id verò aptissimè fecerit CRVX, quæ paradisum reserat, & cælestis regni clauis est. Iubentis vocem secuta Staurophila, semel iterumque, quantâ vi poterat, ianuam cæli CRVCE pulsabat, dicens: *At-*
Psal. 23, 7. *tollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales*, & introibo in tabernaculum Dei mei. Nec mora; statim apertum est cælum; & electa illa post tot CRV-

CES

CES & tribulationes, exultans & lætabunda admissa est in atria Domini. Antequam verò intraret, chartam quamdam in terram dimisit, quam adstantium quidam auidè rapiens, & piâ curiositate aperiens, vidit in eâ scriptum

TESTAMENTVM STAVROPHILÆ.

✠ In nomine Domini nostri IESV CHRISTI Crucifixi, Amen.

STaurophila æthereos iam iam subitura penates,
Hæc mittit genti verba suprema suæ.
Hactenus, vt licuit, nostros spectastis agones,
Et VIA *quo passu sit mihi trita* CRVCIS.
Nunc meritum bonitate suâ mihi pandit Olympum,
Qui fuerat nostræ Duxq; Comesq; viæ.
Sed tamen extremæ (vel in ipso limine cæli)
Signa voluntatis scribere posse dedit:
Iussit & Aligerum, qui me custodit, Achatem,
Hæc TESTAMENTI *verba notare mei.*
Illa ego tot pridem, magnosq; experta labores
Staurophila, è CRVCIS *hac sat benè nota* VIA;

Exiguo vixi cælebs, & paupere censu:
Patris opes CHRISTI *nomine, pauper habet.*
At mihi ductoris largo de munere IESV
Sunt bona, pauca quidem, sed meliora super.
Horum, mortales, ego vos ex asse relinquo
Heredes, & ius omnẽ resigno meum.
Protulit æternæ quæ CHRISTVS *dogmata vitæ,*
Quæq; salutiferæ sunt CRVCIS *apta* VIÆ;
Hæc ego Testatrix, tribus his signata libellis,
Aeternùm vobis nuncupo, lego, dico.
Quæ CRVCIS *in stadio vestigia nostra leguntur,*
Lego eadem, vestro sed relegenda pede.
CRVX *superest, nostræ* CRVX *maxima causa salutis,*
Quâ mihi nil toto gratius orbe fuit;
Hanc quoque transscribo; capite, & citò ferte ferentem
IESV *Staurophoris præmia mille* CRVCEM.
Illa triumphalis Superûm mihi currus ad aulã:
Si placet hæc vobis meta, tenete VIAM.

Actum in atriis cælestis Ierusalem, regnante à ligno CRVCIS *Domino nostro* IESV CHRISTO:

Ego STAVROPHILA ancilla CHRISTI Testamentum meum relegi, signaui, subscripsi. ✠

Hæc

Hæc dilapsa cælo continebat scheda. Interim Staurophila intrauit in gaudium Domini sui, in gaudium illud, quod solum est verum & solidum gaudium: *quod non de creaturâ, sed de creatore concipitur; cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est; omnis suauitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremò quodcunq; aliud delectare possit, molestum.* Bernard. Epist. 114.

Quis verò *cogitare sufficiat, quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm diuinis amplexibus* à Sponso *suscepta?* Bernard. Serm. 1. de Assumpt. B. MARIAE.

Sed frustrà omnino sim, si quod in illâ viuentium regione iam videt, audit, gustat, & tranquillissimâ possidet securitate, exponere voluero. Quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. 9 Res ista *fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur; desideria & vota trãsgreditur.* Augustinus. Quid igitur? desperandúmne est? minimè: *æstimari non potest,* ACQVIRI POTEST. Quo autem pretio? *quanto labore digna est requies, quæ non habet* FINEM? *Si verum vis iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc est; sed noli timere,* Augustin. in Psalm. 93.

mere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborē, numquam peruenires ad æternam quietem. Ergo vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandū est, non quia non valet tanti sed vt possideatur, quod emitur. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent FINEM; *quod tibi dabo, dicit Dominus, non habebit* FINEM. *Qualis misericordia Dei? nec dicit, Decies centena millia annorum labora; non dicit, Vel mille annos labora; non dicit, Quingentos annos labora; sed, Cùm viuis labora, in paucis annis. Inde iam requies erit, &* FINEM *non habebit.*

O requies æterna! ô FINIS sine FINE! ô gaudium immensum! ô tranquillissima quies in Deo ipso! *qui est desideriorum nostrorum* FINIS, *qui sine* FINE *videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Ecce quid erit in* FINE, *sine* FINE! *Nam quis alius noster est* FINIS, *nisi peruenire ad Regnum cuius nullus est* FINIS?

Augustin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 30.

Huc REGIA CRVCIS ducit VIA; huc suo, vt vidimus, itinere peruenit Staurophila, hic etiam totius nostræ scriptionis ad Dei vnius gloriam sit tandem

Collegii Societatis JESV Paderbornæ.

FINIS.

IN-

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ QVÆ IN HIS LIBRIS EXPLICANTVR.

GENESIS.

CAPVT 6. *Vers.* 3. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. *Paginâ* 270

28, 12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum. 390

42, 21. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. 199

EXODVS.

4, 3. Virga Moysis versa est in colubrum. 139

23, 4. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. 254

23, 15. Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. 161

DEVTERONOMIVM.

33; 9. Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos. 110

19. Inundationem maris quasi lac sugent. 213

IVDICVM.

16, 21. Eruerunt oculos eius, & clauſum in carcere molere fecerunt. 85

TOBIAS.

3, 13. In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te. 306
12, 13. Neceſſe fuit vt tentatio probaret te. 44

IVDITH.

8, 26. Reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe. 199

ESTHER.

5, 3. Oſculata eſt ſummitatem virgæ eius. 240

IOB.

1, 21. Dominus dedit, Dominus abſtulit. 245
6, 10. Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat. 312
36, 15. Reuelabit in tribulatione aurem eius. 316

PSALMI.

2, 12. Ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſtâ. 312
15, 4. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà acceleraverunt. 224
22, 4. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. 241
29, 7. Ego dixi in abundantiâ meâ: Non mouebor in æternum. 170
31, 4. Conuerſus ſum in ærumnâ meâ, dum configitur ſpina. 317

10. Multa flagella peccatorum. 81
33, 19. Iuxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde. 359
20. Multæ tribulationes iustorum. 15
34, 6. Viæ eorum tenebræ & lubricum. 86
44, 14. Omnis gloria filiæ Regis ab intus. 259
49, 15. Inuoca me in die tribulationis. 221
54, 16. Descendant in infernum viuentes. 202
55, 1. Miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo. 331
62, 6. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. 385
72, 5. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. 200
76, 3. In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis. 223
79, 6. Potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ. 51
80, 12. Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. 311
82, 17. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. 224
90, 15. Cum ipso sum in tribulatione. 359. 363
98, 8. Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum. 308
106, 13. Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur. 222
115, 4. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. 216
118, 28. Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. 294
37. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. 153

129. Confige timore tuo carnes meas. 269
119, 1. Ad Dominum cùm tribularer clamaui. 222

PROVERBIA.

3, 11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias cùm ab eo corriperis. 177
12, 7. Verte impios,& non erunt. 106
13, 4. Vult & non vult piger. 57
16, 11. Pondus & statera iudicia Domini sunt. 49
19, 2. Qui festinus est pedibus, offendit. 155
24, 16. Septies cadit iustus. 309
25, 21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius,& Dominus reddet tibi. 254
29, 25. Qui sperat in Domino, subleuabitur. 395

ECCLESIASTES.

2, 12. Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum? 166
7, 27. Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. 99

CANTICA.

1, 2. Adolescentulæ dilexerunt te. 124
Oleum effusum nomen tuum. 385
3. Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. 59. 385
12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 164
2, 16. Dilectus meus mihi,& ego illi. 211
3, 1. Quæsiui illum,& non inueni. 279

9. Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, &c. 281
4, 9. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. 221
7, 8. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. 291
8, 5. Innixa super dilectum suum. 395
6. Fortis est vt mors dilectio. 270

SAPIENTIA.

1, 11. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest. 177
3, 2. Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. 165
10, 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei. 390

ECCLESIASTICVS.

2, 4. Sustine, & in dolore tuo patientiam habe. 233
13. Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata. 305
16. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. 181
10, 29. Noli extollere te in faciẽdo opere tuo. 187
23, 38. Gloria magna est, sequi Dominum. 165
27, 12. Stultus sicut luna mutatur. 192
34, 2. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. 191
35, 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. 219.

ISAIAS.

3, 12. Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. 192
7, 15. Vt scias reprobare malum, & eligere bonum. 131
9, 6. Factus est principatus super humerum eius. 259
10, 27. Computrescet iugum à facie olei. 385
26, 10. Misereamur impio, & non discet iustitiam. 311
28, 19. Sola vexatio intellectum dabit auditui. 316
30, 21. Hæc est via, ambulate in eâ. 7
66, 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu. 338

IEREMIAS.

4, 18. Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. 199
23, 29. Numquid non verba mea quasi malleus conterens petram? 270

EZECHIEL.

1, 11. Facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper. 153
16, 42. Iam non irascar tibi, zelus meus recessit à te. 310
43, 10. Ostende domui Israel templum, & metiantur fabricam eius. 336

MICHÆAS.

7, 9. Iram Domini portabo, quoniã peccaui ei. 199

HABACVC.

3, 2. Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. 312
4. Quadrigæ tuæ saluatio. 380
16. Vt ascendam ad populum accinctum nostrum. 394

II. MACHAB.

6, 13. Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. 247

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆVS.

5, 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. 250
6, 1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. 151
6, 3. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. 190
22. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 18
10, 38. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. 44. 165
11, 30. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. 381
12, 48. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 110.

13, 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius,& fallacia diuitiarum suffocat verbum. 90
16, 23. Vade post me satana. 159
20, 23. Calicem quidem meum bibetis. 258

LVCAS.

2, 35. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. 31
6, 22. Beati eritis cùm vos oderint homines. 230
9, 23. Dicebat autem ad omnes. 10
Si quis vult post me venire. 54
Abneget semetipsum. 105
Tollat Crucem. 138
Crucem suam. 127
Quotidie. 179. 182
Et sequatur me. 157. 163
11, 34. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 152
13, 24. Contendite intrare per angustam portam. 400
19, 5. Zachæe festinans descende. 158
23, 26. Imposuerunt illi Crucem portare post Iesum. 158
44. Hodie mecum eris in paradiso. 376
24, 26. Oportuit pati Christum,& ita intrare in gloriam suam. 208

IOANNES.

2, 4. Quid mihi & tibi est mulier? 109
10, 33. In mundo pressuram habebitis. 327
13, 15. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci,ita & vos faciatis. 164

14, 6. Ego sum via, veritas, & vita. 166
15, 2. Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat. 308
18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. 277
18, 11. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? 216

ACTVS APOSTOLORVM.

9, 4. Saule, Saule, quid me persequeris? 366
14, 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cælorum. 376.

AD ROMANOS.

8, 18. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. 205
28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 319
29. Quos præscivit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui. 365
38. Quis nos separabit à charitate CHRISTI? 214

I. AD CORINTHIOS.

1, 18. Verbum Crucis pereuntibus stultitia est. 78
Verbum Crucis iis, qui salui fiunt, Dei virtus est. 295
3, 16. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. 336
4, 13. Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. 277

7, 28. Tri-

7, 28. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. 95
10, 13. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari suprà quàm potestis. 49.174
31. Omnia in gloriam Dei facite. 153
11, 12. A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 195

II. AD CORINTHIOS.

4. 16. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 174
5, 15. Qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. 108
6, 8. Per gloriam, & ignobilitatē; per infamiam, & bonam famam; vt seductores, & veraces. 25
7, 4. Superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ. 231
10, 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 258

AD GALATAS.

2, 19. CHRISTO confixus sum Cruci. 279
20. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in CHRISTVS. 107. 284
5, 24. Qui CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerūt cum vitiis & concupiscentiis. 125. 267
6. 14. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV CHRISTI. 260. 275. 291
Ibid. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 17. 275

AD EPHESIOS.

3, 18. Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum. 340. 393.

AD PHILIPPENSES.

1, 29. Vobis donatum est pro CHRISTO, non solùm vt in illum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. 258

3, 18. Inimici Crucis CHRISTI. 69

AD COLOSSENSES.

2, 14. Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci. 274

15. Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. 380

20. Si mortui estis cum CHRISTO ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viuentes in mundo decernitis? 276

3, 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. 106

AD THESSALONICENSES I.

3, 3. Nemo in tribulatione moueatur, ipsi enim scimus quòd in hoc positi sumus. 38

AD HEBRÆOS.

4, 12. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. 270

6, 18. Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. 323

10, 20. Initiaret viam nouam & viuentem per velamen. 9

12, 1. Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM. 164.

2. Proposito sibi gaudio sustinuit Crucē. 207
5. Flagellat omnem filium quem recipit. 212
11. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris. 230
13, 13. Exeamus ad eum in castra, improperium eius portantes. 137

IACOBVS.

1, 2. Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. 230
12. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. 345
5, 13. Tristatur quis in vobis? oret. 219.

I. PETRI.

4, 13. Communicantes CHRISTI passionibus gaudete. 230.258.365

APOCALYPSIS.

1, 9. Particeps in tribulatione, & Regno, & patientiâ in CHRISTO IESV. 208
2, 10. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 343
3, 19. Ego quos amo arguo & castigo. 46.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

ABnegatio sui. 105
Corpori & animæ necessaria. 111
Eius exemplum in Christo. 109
In Abraham Patriarchâ. 110
In eremitâ quodam. 107
Absalom segetes Ioab comburens, cuius typus. 224
Adolescentis ad meliora conuersi prudens responsum. 107
Aduersa præstant secundis. 247
Vide, Afflictio, CRVX, Tribulatio.
Ægrotare quantum subinde bonum. 298
Ætatem primam Deo consecrandam. 123
Afflictione modicâ redimitur æterna. 65
Afflictio dignum reddit Deo. 165
Afflicti templũ Domini. 338
In iis CHRISTVS patitur. 366
Vide, CRVX, Tribulatio.
Agatha læta in pœnis. 232
Agnes gaudet suppliciis. ibid.
Alexander Patriarcha remittit qui aurum ei surripuerat. 252
Altare holocaustorum pectus CHRISTI. 337
Aman tristis ob negatum honorem. 93
Amanti CRVX in votis. 367
Amato assimilari, votum amantium. 124
Ambitiosorum cura & cruciatus. 93
Amor non laborat. 214. 383
Extasim facit. 284
Amor CRVCIS vitam, amor mundi parit mortem. 274
Anchora spei, CRVX. 321. 324
S. Andreæ ad CRVCEM anhelatio. 67
Andreana CRVX. 21
Animæ potentiæ vt abnegandæ. 112
Animæ purgatæ cur plerumq; affligantur. 307
Annulus desponsationis cum CHRISTO, CRVX. 363
Antonio in tentatione dæmonum Deus adest. 361
Apophthegma veterum Monachorum de voluntate propriâ. 160
Aratro CRVCIS terra cordis proscindenda. 315

Arcus spiritualis, CRVX. 219
Armatura Christiani militis, CRVX. 301
Ars spiritualis sagittãdi. 221
Arsenij visio de duobus lignum transuersum portantibus. 149
Asinus molam vertens, figura peccatoris. 85
Auari martyrium. 91
Aulica vita quàm misera. 94
Aulici martyres sæculi. ibidem.

B.

Baiulationis CRVCIS *quis finis.* 265
Baiulatores CRVCIS *pauci.* 56
Beatitudinis æternæ prognosticon afflictio. 248
Item gaudere in tribulationibus. 231
S. Benedictus in spineto se volutans, carnis vicit tentationem. 302
Beneficio virgo quædam iniurias compensabat. 217
Beneficium Dei tribulatio. 200. 241. 247
Beneplacitum diuinæ dispositionis piis lætitiæ causa. 218
Boni malis dispari affliguntur euentu. 143
Bonifacius martyr vngulis excarnificatus iubilat. 242
Botri vineæ calcati, viri iusti. 331
Botrus Cypri, CHRISTVS *crucifixus.* 332

C.

Calamitas virũ probat. 345
Calix passionis à Dei manu acceptandus. 216
Caro crucifigenda. 265
Quàm exitiosa. 268
Catharina Senensis afflictionibus delectabatur. 133
Spineam elegit coronam præ aureâ. ib. 246
Christianus CHRISTVM *sequatur.* 166
In hoc positus vt perferat. 38
CHRISTO *conformetur.* 266
Perpetuò sit crucifixus. 267
CHRISTVS *Magister & Doctor veritatis.* 12
Infans aduersa præ prosperis elegit. 130
Caput fidelium. 167
Vnctus nos vngit. 384
Vt in nobis viuat. 284
Omne cruciatuum genus tulit. 26. & seqq.
Dolor eius de singulis hominum peccatis. 27
Amans paupertatis. 29
Saturatus opprobriis. 30
Cur CRVCEM *elegerit.* 74
Cur crucifixus. 144
Cur è CRVCE *non descenderit.* 185
Quo animo CRVCEM *tulerit.* 181
Proposito sibi gaudio sustinuit CRVCEM. 207
Cur CRVCEM *baiulauerit.* 260

Vt in eâ gloriatus sit. 259
Est imitandus. 163
Eius erga nos amor. 215
Quis verè sit eius. 267
Illi seruire. 73
Illi conformamur per CRVCEM. 365
Illi configi CRVCI *vt possimus.* 282
Citharâ canere spiritualiter. 229.234
S. Clara in morbo gratias Deo refert. 243
Claui amoris. 270.282
Claui spirituales quibus homo crucifigendus. 269
Clauis ianua cæli. 400
Coniugatorum CRVCES. 95
Conscientiæ vermis quantum tormentum. 86
Consolatio à CRVCE *non abest.* 212
Consuetudo mitigat afflictiones. 179
Corona tribulationibus perficitur. 352
Maiórne passionibus quàm actionibus debeatur. 350
Coronari à Deo, quanta dignitas. 348
Creaturam qui præfert Deo, non fruetur creatore. 69
Cruciarij apud Romanos CRVCEM *suam ferebant.* 87
Crucifixi figura Salomonis templo expressa. 337
Crucifixio spiritualis. 269
Crucifixus diabolus. 274
Homo itē spiritualiter. 282
CRVX *asperum quid sonat.* 11
Quidnam sit. 17
Quotuplex illa sit. 20
Olim infamis stipes, seruile supplicium. 71
A CHRISTI *membris decorata, felix & dulce lignum.* 72
Inter mala non habenda. 129
Cur homini necessaria. 39
Cuiusque viribus à Deo commensurata. 49
Libratur à Deo priusquam immittatur. 50
Quid sit CRVCEM *tollere.* 19
Absque dilatione tollenda. 124
Sua cuiq; ferenda. 127. 134
Integra ferenda. 170
Vndecumque veniat, velut de paternâ Dei manu accipienda. 215
Eam ferre quanta dignitas. 261
Eius beneficio homines prorsus indigni. 368
Eam cum IESV *gestantium diuersa intentio.* 197
Aratrum est spirituale. 315
Character ouium CHRISTI. 13,213
Nummus quo emitur regnum Dei. 33.209
Cantico celebrata. 235
Expugnat animæ hostes. 301
Philtrum & illecebra diuini amoris. 368
Clauis regni cælorum. 400
Consolatione non caret. 212
Eâ vix quisquam vtitur

malè, prosperitate vix quisquam benè. 248
Vide, Afflictio, Tribulatio, aliaq; toto Indice passim occurrentia.
Currus triumphalis, CRVX. 380
Eius rota. 382
Quomodo vngenda. 348
Equi huius currus, & auriga. 386
S. Cyprianus auditâ mortis sententiâ, Deo gratias respondit. 242
Viginti quinque aureos carnifici numerari iussit. 251

D.

Dæmones timent in quibus CRVCEM conspiciunt. 273
Dauidis regis humilitas. 75
Despici pro Deo, quàm bonum. 75
DEVS adest tribulatis. 53. 259
Occultat suam subindè præsentiam, 361
Eam probat ipsâ tribulationis tolerantiâ. 362
Vt pater amãtissimus CRVCES immittit. 53
In bilance CRVCES expendit. 50
Dulcedo est quâ cuncta dulcorantur. 209
Ab eo prouenientia bona censenda. 129
Illo vt digni efficiamur 165
Deo gratias quàm bona oratio. 244
Plus valet vnum Deo gratias in aduersis, quàm sex millia in prosperis. 239
Dilatio in negotio salutis noxia. 121
Dimensiones CRVCIS. 181. 340. 393.
Diuitiæ quot secum adferant angores. 23
Spinæ vocantur. 90
Domus animæ corpus, corporis mundus, Dei anima. 335
Duce quàm maximè opus in viâ spirituali. 158
Dulcedo amoris. 214

E.

Echinus marinus vt procellis se opponat. 324
Eduardi Anglorum regis pia humilitas 76
Eligere CRVCEM nefas, sed oblata acceptanda. 130. 134
Epulo ob delicias damnatus. 41
Equi Currus CHRISTI. 386
Erubescere CRVCEM non oportet. 142
Esther summitatem virgæ Assueri exosculans, quid mysticè designet. 240
Exemplo aliorum CRVX suscipienda. 124
Exempla imitationem excitare debent, non pusillanimitatem. 255
Orantium in tribulatione. 222
Gratias agentium. 242

Inimicis benè faciendi tiũ. 251
Gaudentiũ in aduersis. 231
Extasin facit diuinus amor. 284
Exultatio S. Andreæ in CRVCE. 67
Animæ beatitudini vicinæ. 398.

F.

Fabrica templi spiritualis, eiusq; idea. 336
Familiæ cura quantum onus. 97
Fastidium CRVCIS *quo modo pellatur.* 293
S. Felicitas dolebat in partu, gaudebat in martyrio. 366
Ferenda non trahēda CRVX. 138
Fides afflictiones docet esse bonas. 130
Filij quot parentibus adferant cruciatus. 99
Filiorum est patri in omnibus velle placere. 211
Filiorũ Dei character CRVX *& tribulatio.* 213
Flagellat pater filium cui seruat hereditatem. 213
Flagello CRVCIS *peccatorũ pulus excutitur.* 309
Flagellis à Deo inflictis Deo possumus satisfacere. 306
Fomes diuini amoris CHRISTVS. 215
S. Franciscus tribulationes sorores suas vocabat, & pro iis gratias agebat. 131
Francisci Xauerij patiendi desiderium. 132
Fructuum spes minuit dolorem. 290
Fugere CRVCEM *nemo potest.* 183
Fundamentum vitæ spiritualis mortificatio. 273

G.

Gaudendum in tribulatione. 227
Qui id fecerint. 231
Gehennæ cogitatio patientiæ stimulus. 202
S. Gertrudis virium defectum Domino offert. 352
Gloria Sanctorũ in cæl 0399
Gloriandum in CRVCE. 257
Gloriari in Domino quid sit. 258
Gloria vana quantum malum. 151
Quàm inanis. 191
Meritorum dissipatrix. 193
Bono operi subdolè se immiscet. 189
Perfectos infestat. 188
Vt superanda. 152
Eius remedium. 190
Gluten quo anima Deo coniungitur, CRVX *& afflictio.* 363
Gradus scalæ CRVCIS. 393
Gratiæ agendæ in tribulationibus. 237. 241
Martyribus æquatur id faciens. 244
Gratiarum actio discriminat malos à bonis. 245
Maior ob aduersa, quàm prospera referenda. 247

Pro beneficiis non admodum magna. 239
Debita inimicis & persecutoribus. 250
S. Francisci in tribulatione. 133
Aliorum item. 242
Grauiora nemo patitur quàm ferre queat. 51

H.

Heraclius Imperator triumphali ornatu CRVCEM *ferre nequit.* 154
Honor maximus, tribulationes pati. 258
Honoris appetitus quantis laboribus obnoxius. 92
Honoris cupidus lunæ comparatus. 152
Horror CRVCIS *vt mitigetur.* 138
Hostes animæ. 295
Eorum tentationes. 297
CRVCE *profligantur.* 301
Humilitas in CRVCIS *baiulatione seruanda.* 154
Rota est in curru CRVCIS. 384

I.

Iacobus intercisus quoties membro priuabatur, toties Deo gratias agebat. 242
Iactantia in pio opere vitanda. 149
Ierusalem supernæ descriptio. 389.397
Incipientes cur minùs tententur. 169
Inferni imago in auaro. 92
Iniuriarum memoriâ quis perfectè liber. 254
Inseri CHRISTO *vt arbori debemus.* 285
Intellectus abnegatio. 113
Intētio recta sit, & ad Deum directa. 153
Bonæ vanæ gloria insidiatur. 190
Eius gradus. 195
Ioannes Abbas morbum ægroto necessarium curare renuit. 307
Ioannis Eleëmosynarij pia vindicandi ratio. 252
Iob in ærumnis gratias agit. 239. 241.
Instar campanæ percussus suauem edidit sonum. 245
Omnibus ablatis Deum retinuit. 362
Passionibus illustrior quàm actionibus, etiam bonis. 356
Eius calamitates & patientia. 25
Obijcit ei dæmon quòd propter mercedem Deo seruiret. 44
Ira Dei quæ optanda. 312
Miserationis plena. 243
Irascitur maximè Deus, cùm peccatoribus non irascitur. 310
Iudicium proprium in re spirituali maximè nocet. 159

L.

Labor non est in amore. 214
Lacedæmonij vt puerorum experiantur indolem. 46

Laudes quærere quàm vanum. 150
Iis delectari, periculosũ. 189
S. Laurentius assatus gratias agit. 242
Lazarus aduersovento in sinum Abrahæ delatus. 376
Luxuriæ malum. 90
Lydvvina virgo iniurias beneficiis compensat. 253
Ei ostensum vt perficienda esset corona. 351

M.

Magdalena de Pazzi longam optabat vitam, vt diu posset pati. 397
Magister in re spirituali quàm necessarius. 158
Malleo CRVCIS *lapides templi spiritualis cadendi.* 341
Cæli fores pulsandæ. 400
Malum cuiq; suum molestissimum apparet. 173
Malus spiritualis nauis CRVX. 372
Manasses vinctus & compeditus Deum agnoscit. 318
Marco & Marcelliano tormenta epulæ. 232
Beatæ MARIAE *Virginis* CRVX. 22. 35
Doloris gladius. 37
Mare est præsens sæculum. 322. 374
Quàm periculosum. 323
Martyres in lecto. 387
Matrimonij incommoda. 96
Mauritius Imperator in aduersis ad Deum conuersus. 318
Membrum capiti suo compatiatur. 167
Mercede æternâ consideratâ afflictiones dulcescunt. 184
Misericordia Dei magna, dum hîc peccatores punit. 311
Monachorum pia simplicitas, ligneam CRVCEM *circumferentium.* 17
Monachorum probatio. 47
Monachorum trium diuersus in iniuriis affectus. 146
Morborum CRVX *quàm vtilis.* 23
Animæ beneficium est. 299
Eâ ad triginta annos quidam optat affligi. 354
Moriatur homo sibi, vt viuat Deo. 108
Moriendi cum CHRISTO *votum.* 286
Mors incerta. 123
Mortificatio Christiano necessaria. 109
Quinq; sensuum & potentiarum animæ. 112
Carnis. 268
Moyses elegit affligi cum populo Dei, aspiciens in remunerationem. 206
Mulier viro quanta CRVX. 98
Mundus lacrymarum vallis. 1
Mare. 322. 374
Amarus est ne ametur. 40
Crucifigendus nobis est. 273
Illi despecti, à Deo electi. 24

Nihil illius nos detineat. 276
Vt illi moriamur. 275. 278
Murmurare ob CRVCEM, *quàm malum.* 177

N.

Nabuchodonosor Deum in prosperis ignorans, agnoscit in aduersis. 317
Natura superanda. 66
Naufragium passus diues Epulo vento secundo. 376
Nauigatio spiritualis describitur. 373
Nauigantium spirituale celeusma. 374
Nauis CRVCEM *exprimit.* 371
Eâ mare sæculi transfretandum. ibid.
Necessitatem ad Deum recurrendi CRVX *imponit.* 223
Nicolaus Stauropharus ligneã baiulans CRVCEM. 18
Nobili CRVX *non erubescenda.* 74
Nobilium CHRISTI *insignia* CRVCES. 260
Nocumenta documenta. 316
Nouitius Carthusianus vt in proposito fuerit confirmatus. 172
Nummus quo cælum venale est, CRVX, *& tribulatio.* 33. 209

O.

Obediens CRVCE *vtitur pro vehiculo.* 383
Oculus mentis intentio cordis. 152
Oculos aperit CRVX. 316
Oculi Tobiæ felle, cæci nati luto sunt curati. 317
Ode in CRVCE *exultantis.* 235
Officina variarum CRVCIVM. 20
Omnibus in rebus vanitas & afflictio. 88
Opera satisfactoria cur sint pœnalia. 306
Opinio aduersa videri facit grauiora. 171
Opprobrium CRVCIS *exemplo* CHRISTI *ferendũ.* 141
Orandum in CRVCE. 219
Quare. 221
Quomodo. 225
Orationẽ iuuat afflictio. 222
Oratio pro agnoscendâ viâ salutis. 6
Osculo CRVX *& tribulatio excipienda.* 240

P.

Palpari post resurrectionem cur CHRISTVS *se permiserit.* 205
Parentum amor mortificandus. 109
Paterna manus est quæ CRVCEM *imponit.* 215
Patientia quid sit. 45
Eius initium & finis. 145
Gradus. 146
Patiens quis verè dicendus. 134
Pati pro Deo, maius quàm mortuos suscitare. 240
Vtilius quàm magna operari. 352

Patris disciplinam non repellant filij. 212
Paulus in tribulationibus gestiens. 261
Quanta eius in aduersis fiducia. 324
Apostolatus eius insignia. 262
Pax animi vt acquiratur. 234
Peccatis CRVX *debita.* 199
Peccator nullam habet requiem. 84
Perfectio omnibus Christianis præscribitur. 145
Persæ gratias agebant, cùm à Rege iuberentur flagellari. 240
Perseuerantia in CRVCE *necessaria.* 181.185.266
Petrus inuersè crucifixus. 21
Philosophi discipulus triennio mercedem soluit iniurianti-bus. 251
Placens sibi displicet Deo. 188
Pœnæ huius vitæ magis meritoriæ quàm futuræ. 201
Præceptū de diligendis inimicis qui impeuerint. 251
Præmia nutriūt patientiam. 205
Pretium CRVCIS *absconditum.* 292
Probatio fortitudinis in aduersis. 262
Procrastinatio periculosa. 122
Prosperitas huius vitæ formidabilis. 41.84
Futuræ damnationis indicium. 248
Prosperitati succedit aduersitas. 42
Psallere quid sit. 227
Psalterium spirituale quomodo tangendum. 234
Pulus peccatorum CRVCE *excutitur.* 309
Purgant animam tribulationes. 308
Purgatorij pœnis pro peccatis velle satisfacere, imprudens dictum. 201

Q.

Quadraginta martyribus cælestes coronæ destinatur. 348
Quadrato lapidi similis sit iustus. 341
Quanam vniuscuiusque dicenda CRVX. 129
Quatuor currus CRVCIS *rotæ.* 382
Querela afflictorum à Deo se derelictos dicentium, reiecta. 361
De Deo in aduersis quàm stulta 199
Indicium ea est hominis ingrati. 246
Illi in aduersis non indulgendum. 178
Impiorum de neglectâ viâ salutis. 79.84
Pia cuiusdam quòd integro anno non fuisset afflictus. 354
Quotidie ferēda CRVX. 182

R.

Redemptio humani generis cur CHRISTI *passioni potiùs quàm actionibus adscribatur.* 354

Regnat in nobis CHRISTVS *per asperitates.* 260
Regni CHRISTI CRVX, *sceptrum.* 74
Regnum cælorũ sine CRVCE *non obtinetur.* 208
Regũ cura & CRVCES. 83.
Religio summa, in infirmitate gratias agere. 244
Religiosi CRVCIS *à Gentilibus appellati Christiani.* 78
Relinquere semetipsum vt homo possit. 106
Remora spiritualis, caro nostra. 375
Resignatio in afflictione necessaria. 226
Quanti facienda. 249
Est suauis melodia in auribus Dei. 234
Rotæ currus CRVCIS, *charitas, obedientia, patientia, humilitas.* 382

S.

Sæcularium gaudium breue, doloribúsque permixtum. 82
Sagittæ mysticæ, orationes sunt. 219
Samson peccatoris seruitutem exprimit. 85
Sancti non queruntur se morbis à perfectione impediri. 353
S. Saturninus gratias agit in tormentis. 242
Scala CRVCIS, *eiusq; typus.* 390
Latera eius & gradus. 393
Sceptrum CHRISTI CRVX. 259
Schola CHRISTI *viam docet* CRVCIS. 12
S. Secunda ignominiam reputat non torqueri. 263
Flagellorum ictibus aiebat sibi coronas cudi sempiternas. 347
Sensualitas malorum irritamentum. 111
Sequi Deum quàm gloriosum. 165
Serui CRVCIS *soli inueniunt viam beatitudinis.* 208
Serui fugitiui olim CRVCE *notati.* 73
S. Seruulus paralyticus hymnis Deum in morbo celebrat. 243
Signi CRVCIS *efficacia.* 301
Simon Cyrenæus CRVCEM *ferens post* IESVM, *quid designet.* 158
Sitim CHRISTI *refocillare vt liceat.* 331
Spes gloriæ in tribulatione. 208
Solatium laboris est. 205 206
Eius intuitu CRVX *toleranda.* 203
Staurophila vnde dicta. 211
Stephano quid lapides effecerit dulces. 207
Stulta mundi elegit Deus. 78

T.

Templum Domini anima nostra. 335

Quomodo ædificandum. 339
Salomonis CHRISTVM *exprimebat..* 337
Cur ad CRVCIS *formam exstruatur.* ibidem.
Tentatio vanæ gloriæ ex sui confidentiâ accidit. 189
Carnis dolore superatur. 302
Pios frequenter exercet. 169
S. Teresia virgo aduersarios impensiùs amat. 253
Eius votum, Aut pati, aut mori. 367
Vt pati posset, cælo vellet descendere. 292
Tharsis mundanorum ciuitas quid significet. 2
S. Thecla tormenta delicias reputabat. 232
Themistoclis dictum: Perieramus, nisi periissemus. 200
S. Theodorus martyrium obiens Domino benedicit. 242
Timoris via 198
Timorem Dei tribulatio excitat. 247
Torcular spirituale vinum exprimens, CRVX *est.* 329
Tribulatio hominẽ probat. 43
Pabulum electorum. 214
Ad Deum ire cõpellit. 224
Piis consolatio est. 241
Animæ cuiusq; statum indicat. 225
Abluit peccata. 306
Prædestinationis symbolum, & arrha salutis. 325
Præmiũ habet immensũ. 249
Ab eâ nemo liber. 82
Vide, *Afflictio*, & CRVX.
Triumphus CRVCIS *& Crucifixi.* 380

V.

Vene CHRISTVM *sequi, primum in itinere* CRVCIS. 55. 59
Veris descriptio 3
Via ad patriam præsens vita. 40
VIA CRVCIS, *via salutis.* 10. 11. 182
Quàm difficilis. 343
Via triplex bonæ intentionis. 198
Via virtutis ardua. 12
Viduarum labores & dolores. 101
Viuum spirituale è torcularI CRVCIS. 330
Virga aurea Assueri osculo excipienda CRVX *est.* 240
Virga Moysis CRVX *assimilata.* 139
Virgo quædam vt ad perfectionem pertigerit. 217
Visio cuiusdam Religiosi de varietate hominum CRVCEM *ferentium.* 125
Vnctione spiritali liniendæ CRVCES. 384
Vnire suas afflictiones meritis CHRISTI *vtilissimum.* 226
Voluntas humana quàm imbecillis. 57
Quàm varia & mutabilis. 119
Propria abneganda. 113
Cum illâ in cælum non adscendendum. 160

Volun-

Voluntati Dei se conformet homo. 184
Pacem habet, quid id facit. 225
Voluntatis Dei adimpletio, piorum solatium. 132
Voluptates quàm noxiæ. 89
Illis studentes fugiunt CRVCEM. 63
Vuis comparati homines in hoc sæculo. 329
Vxorum seruitus. 97

Z.

Zacheus cur iussus ex arbore descendere. 152.

Collegij Societatis JESV Paderborna 1636.

FINIS.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


LABORE ET CONSTANTIA

REGIA
CRUCIS
VIA

Th
2693


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN